2

AVGVSTINI BVCCII TAVRINENSIS ACADEMIAE PHILOSOPHI ET MEDICI

NATVRALES DISPVTATIONES SEX

non paruam ad obſcuriſsimos Ariſtotelis de Anima libros lucem afferentes.

De Phantaſmate.
De ſpecie intelligibili
De ſingularium intellectione
De luminis natura
De illuminatione contra Scaligerum
De vno ente Parmenidis: & Meliſſi aduerſus Simplicium, Beſſarionem, & alios eius ſententiæ ſectatores.

28



Permiſſu eorum qui in hæreſim inquirunt.

TAVRINI
Apud Franciſcum Dulcium & Socios:
MDLXXII.

12 16-4-24

CLARISSIMIS TAVRINENSIS ACADEMIAE MODERATORIBVS, LVDOVICO ROCCAFORTIO PHILOSOPHO MEDICOQVE ILLVSTRI, ANTONIO BOCCHIO ARCHIATRO, AC I. ANTONIO Bellacumbæ Senatori. Auguſtinus Buccius S. D.

QVOD ſtudioſis omnibus, de exorta, ac non integrè tunc temporis explicata de phantaſmate diſceptatione, publicè in ſcholis polliciti ſumus; quodq. vobis, viri clariſsimi, gratiſsimum fore intelleximus, vt eam quæſtionem totam ſcriptis inuulgaremus, atq. in lucem ederemus; id tandem cum primùm per otium licuit, veſtris auſpiciis præſtamus. Vos noſtras haſce in philoſophia primitias, partim ex Academicis concertationibus, partim etiam ad æſtuantis caloris faſtidia leuāda conſcriptas, tamquàm lineam ſub exemplo in tabella deſcriptam, hilari fronte excipite: ita enim nos ad maiora propediem molienda excitabitis, Valete. Ex Auguſta Taurinorum ſexto Id. Septembris. MDLXXII.

DE PHANTASMATE DISPVTATIO PRIMA.

AD ANTONIVM BERGAM TAVRINENSIS ACADEMIAE PHILOSOPHVM INSIGNEM.

Quæ ſit controuerſia, eiusq́ occaſio explicatur.

Caput primum.

OPINIONEM tuam de phantaſmate, quam non quòd tu, vt ego exiſtimabam, ita ſentires, ſed potius, quòd tibi ita inter reſpondendum occurriſſet, ſuperioribus diebus tueri, ac ſuſtinere conatus es, cum ceteris aliis contentionibus noſtris, perpetuo ſilentio inuoluere conſtitueram; cum ecce tuum mihi ſcriptum allatum eſt; quo nouis quibuſdam rationibus, atque argumentis, pro Gymnaſii forib. affixis, phantaſmatis uniuerſitatem probare, ac perſuadere magnopere laboras, diemque ſtatui petis pro hac controuerſia in ſcholis explicanda, atque dirimenda. Qua de re non mediocriter commotus, ab inſtitutóque meo, ac propoſito reuocatus, uel potius à te prouocatus, oblatam mihi conditionem accipiendam omnino putaui, non contradicendi, aut contendendi uoluntate, aut ambitione ductus, ſed potius ueritatis, publicæ'que ſtudioſorum utilitatis ſtudio accenſus, in quorum mentibus ſcrupuli hac quæſtione inexplicata, permulti relinquebantur. Cum itaque ipſe prior quæſtionem hanc in ſcholis problematis more expendiſſes, illudquè maxime efficere conatus eſſes, phantaſma rem eſſe uniuerſalem: altera uero die, tua hac ſententia ex multis Ariſt. locis inter legendum per nos prius confutata, in arenam tandem aſtante doctiſsimorum uirorum corona, concertaturi deſcendiſſemus, re tota expoſita, tuóq. etiam ſcripto, quo phantaſmatis uniuerſitatem tuebaris, publicè recitato, neſcio quo conſilio, die conſtituta, diſputationis munus recuſaueris, reque infecta, quam tamen ſummè cupere uidebaris, è campo diſceſſeris. Cum autem die altera denuò eam quæſtionem diſcutiendam, atque explicandam proponeres; ſtudioſorum animis iam ad anatomen conuerſis, rectius & ſtudioſæ iuuentutis utilitati, & philoſophicæ dignitati conſultum iri exiſtimauimus; ſi ſcriptis ageremus: quibus ueritas hinc inde accuratius agitata, atque excuſſa, abſque clamoribus, & conuitiis fieret dilucidior ac planior. Ea enim demum uerè philoſophica concertatio eſt, in qua diſputantes non hoc unum conantur, ut aduerſariorum rationes quomodocunq. eludant, ſed illud potius curant, vt ex propriis

ſcientiæ principiis argumenta petantur, diſtinctiſq; à reſpondente rebus ambiguis, rationes forma, uel materia peccantes diluantur: ut tandem non argutiarum, aut ſimulatæ ſapientiæ opinionem, ſed fructum, & utilitatem ex controuerſarum quæſtionum dilucidatione, et explanatione auditores referāt. Quod ut nos pro uiribus ſcriptis præſtemus, rem totam a principio aperiam. Tria noſtrarum concertationum capita ex proœmio operis auſcultatorii, cuius explicationem hoc anno in Academia aggreſsi ſumus, in publicis congreſsibus propoſuerā, de naturalis ſcientiæ ſubiecto; de propoſitione ea, quæ non eadem inquit eſſe nobis & natura nota, ac de num de eo; quod primùm in cognitione occurrit. Ac cùm de primo multa hinc inde dicta eſſent, cùm ego contenderē uarias de ſubiecto interpretum ſententias ſolis fere nominibus diſcrepare, à te reſponſum eſt, ſubſtantiam mobilem, quatenus a motu non ſeparat, rectius quàm alia omnia pro ſubiecto conſtitui: quandoquidem omnibus in naturali ſcientia conſideratis attribuatur. Nam et corpora omnia naturalia, & eorum partes, quinetiam & materia, & forma, ſubſtantiæ ſenſibiles dicuntur: quod non ita de corpore naturali dici poteſt, ſiue de aliis, quæ pro ſubiecto ab interpretibus introducuntur. Contrà dictum â me eſt, non pertinere ad ſubiecti eſſentiam, vt de omnibus in ſcientia cōſideratis recta prædicatione dicatur; ſed potius, ut omnia ei tribuantur, ac per ſe ad illud referantur, uel ut principia, uel ut partes, uel ut propriæ affectiones. Itaq. ſubiectum genus de ſuis ſpeciebus, quas partes ſubiectiuas uocant, per ſe quidem prædicari oportere, non item de principiis, & affectionibus; quæ illi per ſe inſunt. Tu uero ex aduerſo principia partes quoq. ſubiecti exiſtere, atq. a partibus ſubiectiuis minime diſtingui pertinaciter cōtendebas: quod ſi eſſet, non uideo cur idem non ſit principium ſui ipſius. Sed ex hoc controuerſiæ capite ad Ariſtotelis propoſitionem progreſsi ità in eam ingreſsi ſumus. Niſi eadem ſint nobis & natura nota, corruere præſtantiſsimam eam demonſtrationem, cuius ſpeciem Ariſtoteles expreſsit primo lib. Poſter. Anal. quandoquidem non ſatis ſit in exacta demonſtratione propoſitiones natura tantum eſſe notiores; ſed etiam requiratur, ut nobis euidentiores ſint; ad quorum eruditionem, non item ad naturam, demonſtratio comparata eſt. Cui obiectioni, quam nos mathematicarum demonſtrationum exemplo confirmabamus, tu ità occurriſti; propoſitiones demonſtrationis, ſimpliciter dictæ, nō eſſe abſolutè notiores, ſed tantum reſpectu concluſionis. Quæ reſponſio etſi argumentum relinquebat, à nobis tamen oppugnabatur: ita enim fore, ut propoſitiones potiſsimæ demonſtrationis, quod ad euidentiā attinet, non differrent a ceteris propoſitionibus aliorū ſyllogiſmorum, quibus omnibus illud cōmune eſt, ut ſint concluſione notiores. Porrò ab hac ad difficiliorem de eo, quod primùm in cognitio

ne

ne noſtra obuium occurrit quæſtionem, euocata atq. deducta diſpu-
tatione, inter cetera argumenta, quibus conabamur efficere, nõ magis
uniuerſa, quàm ſingula eſſe notiora; unum allatum eſt ex Gregorio
Ariminenſi, intellectũ uidelicet à ſingularibus per abſtractionem uni-
uerſa colligere, ideóque ſingularia neceſſariò prius intelligi: quandò-
quidẽ ab re ſibi ignota non poſsit intellectus aliquid abſtrahere. In quo
argumento diluendo, cùm in uulgatas notitiæ diſtinctiones, quæ ſecun
dum actum & habitum, confuſæque & diſtinctæ dicuntur, obiter inci-
diſſes; ut omittam id quod pertinaciter contendebas, ſcientiam non
eſſe cognitionem diſtinctam; illud quoque abs te negatum eſt, uniuer-
ſalis abſtractionẽ fieri ab intellectu ex ipſis ſingularibus: quod ex coſta
tim probatum eſt, quòd intellectus uniuerſale abſtrahat a phantaſma-
tibus: quæ cum materialia ſint, propterea ſunt ſingularia. Cùm au-
tem de modo, quo phantaſmata dicuntur materialia ſermo eſſet, di-
ctum eſt, phantaſmata propterea ſingularia materialiaquè dici, quòd
quanquam ſimulacra ſint rerum ſenſibilium non habentia materiam
ſenſibilem, quia tamen res, quæ ſub phãtaſiam cadunt, modo materiali
repræſentant cum conditionibus temporis, & loci, quæ uulgo dicun-
tur hic, & nunc; ideo materialia iure optimo appellari, quo etiam
nomine a ſpeciebus intelligibilibus differunt: quæ res uniuerſas v-
niuerſaliter repræſentant, ſeparatis omnibus materiæ appendici-
bus. Verùm cum proteruè nimis aſſeuerares, phantaſma nec ma-
teriale eſſe, nec ſingulare, quæſtione inexcuſſa relicta, atq. inexpli-
cata, poſtridie locum Ariſt. ſcriptum citaſti ex III. de Anima xxxix.
„ iis uerbis. „ Cum autem nulla res ſit præter magnitudines ſeparata,
„ ut uidentur res ipſæ ſenſibiles, in ipſis profecto ſenſibilibus formis ipſæ
„ ſunt intelligibiles formæ, tum earum rerum, quæ abſtractæ uocantur,
„ tum eorum etiam ſenſibilium, quæ ſunt habitus, atq. affectus. Idcircò
„ & qui non ſentit, nihil diſcere, uel intelligere poteſt: & qui contem-
„ platur, neceſſe eſt unà cum phantaſmate contempletur. Ipſa namq.
„ phantaſmata, ueluti ſenſibilia ſunt, attamen ſine materia. „ Vnde il-
lud maxime colligi putabas, phantaſma eſſe uniuerſale, quia ſine ma-
teria. Quem locum cum de ſenſibili materia intelligendum eſſe di
ceremus, non item de materiæ conditionibus: quarum ratione phan-
taſma ſingulare eſſe profitebamur, quia modo ſingulari repræſentat;
tu altero tuo ſcripto publicè a nobis in congreſſu recitato; quod hoc
loco inſeritur ex eiſdẽ Ariſt. uerbis quamquã à te aliter explicatis, uni
„ uerſale phantaſma deducere denuò nitebaris in hunc modũ. Ex Ariſt.
„ loco citato patet, ſpecies intellectiles nõ in rebus, ſed in ſenſibilibus for
„ mis intelligi; phantaſmata uero, quæ ſunt in ſenſibilibus formis, omni-
„ no ſeparata ſunt a materia: quia, ſi retinerent materiæ conditiones, nõ
„ diſtinguerentur a formis ſenſibilibus quæ cum uera ſint: phantaſma-

ta ſi pro ſpeciebus ſenſibilibus ſumantur,materiæ cōditiones retinent, ſi pro ſpeciebus quæ illis inſunt,nec materiam nec conditiones materiæ. De iis enim phantaſmatibus, quæ ſunt ſpecies ſenſibilium formarum ſermo erat, cum ab illis negabamus materiam,& materiæ conditiones. huiuſq. generis phantaſma nec ſingulare,nec materiale dicitur,ſed uniuerſale,ſpecies uidelicet phantaſmatis quod eſt in phantaſia. Nec uerum eſt agentem intellectum à ſenſibilibus formis,hoc eſt, à phantaſmatibus ſpecies intellectiles abſtrahere: cū illis agens ſolum, ut lumen comparetur ab Ariſt.quod ſpecies,potentia intellectas,actu intellectas facit,non autem abſtrahit: quoniam id ſolum poſsibili intellectui uidetur conuenire; qui locus eſt ſpecierum. Hactenus ſcriptum tuum. Ex quo duæ quæſtiones oriuntur; una de phantaſmate, altera de ſpeciei intelligibilis,ſiue de uniuerſalis abſtractione: quibus tertia quoq. addi poteſt; quam etiam inter diſputandum attigimus; an intellectus,antequam abſtrahat,ſingulare intelligat, ut ratio noſtra ſupponere uidebatur.

Nobiliſsimum animæ opus cognitionem eſſe. Variæ ſentientis, & intelligentis animæ facultates, artificioſè ad propoſitæ quæſtionis dilucidationem enumerantur.

CAP. II.

VT. propoſita de Phantaſmate quæſtio clarius, & dilucidius explicetur; re ipſa altius,ac paulò longius repetita,nonnulla Mathematicorum more de noſtrarum cognitionum nexu,atq. ordine ex Ariſt. præfari non alienum ab inſtituta diſputatione duximus. quib. præmiſsis; quæ in tuo ſcripto protuliſti ſigillatim excutiemus. Anima igitur noſtra,de qua ſermo eſt inſtitutus,vt omnium formarum longè eſt diuiniſsima,ita tria præſtantiſsima munera homini tribuit,vitam,cognitionem,motionem:vitam quidem per altricem facultatem:cognitionem verò,& motionem per ſenſum & intellectum. Quæ omnia etſi corpori & animæ cōmunia ſunt; alia tamen magis ad corpus pertinent,vita nimirum; & motio: alia ad animam primùm referuntur,eá uidelicet vis; quæ in cognitione conſiſtit adeo ſua natura excellens,vt eius beneficio anima omnia fieri,diuinarumq. mentium veluti æmula,omnia quodammodo eſſe videatur. Quod pulchrè explicans Alexander animam,inquit,perfectam, quæ intellectus lumine prædita eſt,cognitionis miniſterio omnia quodammodo euadere,non quòd ſua eſſentia relicta, in varias formas materialiter migret,ſed quia omnibus ſpeciebus,& imaginibus,quæ rerum formas & naturas adumbrant,in eius exiſtentia ſpiritaliter ac ſingulatim,nō co-

acer-

aceruatim ſuſceptis, cuicunq. rei ſimilem ſe ſe præſtare poteſt. vnde noſtra hæc cognitio ita deſcribi poteſt, illā ſcilicet eſſe animæ affectionem ſiue operationem; qua res per ſpecies in ea repræſentatæ, iudicantur. Duo enim in omni cognitione ſiue ſenſus, ſiue intellectus, neceſſaria ſunt, receptio videlicet ſpeciei, & iudicium: quorum illud quidē in perpeſsione, hoc in actione continetur. Quare etſi ſpecies viſilis in ſpeculo ſuſcipitur, viſio tamen non ſequitur: quia deeſt anima, quæ iudicium exerceat: ſpeculum enim tantum patitur, non agit. Atq. hinc ſenſus, quamq̃bam, vt ſpecies recipit, virtus paſsiua eſt, alia tamen ratione actiuus dicitur, tum quia ſenſionem producit, tum quia iudicat: intellectus uero agens, ſuo lumine obiecto tribuit, ut actu moueat intellectum poteſtatis, Porró, ut duo ſunt rerum noſcendarum genera, unum quidem cum materia ſenſibili, alterum ſine materia: ita illis duæ animæ facultates ex altera parte reſpōdent, ſenſus quidem pro rebus materialibus dignoſcendis, intellectus pro rebus, quæ uel ſine materia reipſa ſunt, uel cogitatione ſeparantur. Sed quia res materiales per ſpecies, & ſimulacra ab anima ſenſuum miniſterio erant dignoſcendæ, loca quædam & ſedes corpori aſsignandæ neceſſario fuere: in quibus idôla illa rerū ſenſibilium ſine ſenſibili materia, cum rerum tamen ſenſibilium præſentia, ſeu imagine reciperentur. Ita quia ſenſus: ſuperficietenus rerum cortices, colores nimirum, odores, ſonos, guſtatiles, tactileſq. qualitates, ac præterea motum, quietem, figuram, numerum, magnitudinem, ceteraq. eiuſmodi accidentia deprehendit; ideo ſagax, prouidaq. natura uaria organa, & ſenſiteria fabrefecit cū ad neceſſarios uitæ uſus, tum ad animum multiplici rerum cognitione inſtruendum. Hinc anima ſentiens, beneficio ſenſuum externorum, in oculis uiſionem, in auribus auditum, in naribus odoratum, in lingua, & palato guſtatum, in carne tactum exercet: quibus omnibus accidentales formæ, quotquot ſunt, in anima repræſentantur. Præclarum ſanè opus, ſed mancum, & imperfectum; niſi ſuperiorem ſenſitiua anima facultatem habuiſſet: qua & omnium ſenſuum diſtincta, diſparataq. obiecta, eorumq. ſenſuum actus, quos ipſimet ſenſus animaduertere nequeunt, promiſcua quadam, communiq. uirtute iudicaret. Quod munus intima ſentientis animæ uis, ueluti regina, quam cōmunem ſenſum appellant, nullius externi organi indiga, per ſpecies è peculiarib. ſenſibus, tamquam internunciis, ad eam ſpiritaliter delatas, egregiè præſtat. Verùm enimuero, quia fortuitus erat rerum ſenſibiliū occurſus, ſine quibus externi, communeſq. ſenſus propriis muneribus uacant, de rebus autem ſenſilibus etiam abſentibus hominem cognoſcere, & iudicare opus erat, iis non contenta natura, ſecretiori quadam facultate animam præditam eſſe uoluit: in qua imagines, & ſpectra rerum ſenſibilium, in ſenſibus prius recepta, ſpiritaliori modo

expreſſa,

expreſſa hærerent; ac tamquam in formarum promptuario recondita, abſentibus etiam ſenſibilibus ſeruarentur. Vt enim annuli effigiem in cera prius exprimi, aeremq. qui ceræ effigiatæ circumſtat, ab eadem ſimul latenter obſignari fingimus: ſimiliter ex rebus ſenſibilibus imagines in ſenſiteriis primum receptæ, in phantaſiam reſiliunt; in eaq. impreſſæ manent; ut propterea uim eam alii imaginationem, alii etiam configurationem non inepto uocabulo nuncuparint: quam qui ſpecierum tantum ſuſceptiuam putant, eam à cogitatrice, æſtimatriceue facultate, re ipſa diſtinctam poſuerunt. Quod ut minus neceſſarium eſt; ita nos hanc unam eandemq. animæ uim, quæ imaginatrix dicitur, quæ ceteris materialibus facultatibus puritate, & excellentia præſtat, nedum ſpecies, indiuiduasq. notiones in ea obſignatas agitare, componereq. atq. diuidere, ſed iudicii etiam ac diſcurſus functionem exercere, ex iisq. notiones, quæ ſenſum effugiunt, elicere arbitramur, ut odii, amoris, iucundi, noxii, proſequendi, aut fugiendi. Nulla enim animæ uis obiecti ſpeciem ſpiritaliter recipit, quæ iudicio etiam & cognitione non polleat: alioqui materiæ, non animæ more reciperet. Nec uerò repugnat, eandem re & ſubiecto animæ partem ſecundum facultates, ratione diſtinctas, ſimul & ſpecies recipere, & receptas iudicare, item diſcurrere agereq. ſimul & pati: cum nulla uera naturalis actio ſit præter eam, quæ primarũ contrariarumq. qualitatum efficientia fit. Ac proinde non rectè Auerrois, aliiq. poſt eum celebres philoſophi, cogitatiuam, æſtimatiuamue animæ uim ſede, & ſubiecto ab imaginatione diſtinctam numerarunt: quod nec ab Ariſtot. proditum legitur; nec ulla ratio cogit, quominus eadem ſubiecto facultas, una quidem ratione imagines ſuſcipiat, alia uerò componat, diuidat, ac circa eas diſcurrat. Huius igitur facultatis, quæ materialium omnium formarum, ipſiuſq. ſentientis animæ apex eſt ac ueluti faſtigium obiecta phantaſmata dicuntur: quæ nedum a materia ſenſibili, quod commune eſt omnibus externorum ſenſuum obiectis, ſed et ab eiuſdem materiæ præſentia diſtracta, & ſeparata ſunt: ita tamen, ut materiæ circumſtantias ac conditiones retineant temporis uidelicet, et loci determinati; quin & huius coloris, figuræ, ſitus, et magnitudinis; ſub quibus res ſenſiles in anima repræſentant.

Verum enimuero, cum ea, quæ per ſenſus, ſiue externos, ſiue internos homo comprehendit, accidentia ſint, eaque ſingularia: quorum cognitio brutis quoque animantibus communis eſt; humanus uero animus ad omnia rerum genera intelligenda ſit aptus, præcipuè uerò ad uniuerſalia; ipſamq. ſubſtãtiam, quæ ſuam in ſenſibus ſpeciem producere nequit, puriorem et diuiniorem quandam animi partem adeſſe oportuit, quæ nedum accidentia, ſed & ſubſtantiam, & quæ uniuerſalia dicuntur, totumque ipſum quod eſt perualderet: ac quicquid in

natu-

natura,& ſupra naturam extat, ſuo lumine luſtraret. Ceterum, cùm non per rerum,ſed per ſpecierum ſuſceptionem cognitio fiat, omne autem quod recipit,ab eius quod recipitur natura nudatum eſſe oporteat,ſubſtantia illa,in qua multiplex hæc,& uaria rerum omnium materialium cognitio ſuſcipienda erat,tota ſpiritalis,immiſta,ab omniq. corporis,& materiæ contagione libera eſſe debuit. Siquidem eam omnes rerum ſpecies,ac notiones cùm accidentium,tum ſubſtantiarum indifferenter,ſuoq. ordine,abſq.materiæ impedimento recipere,omniaq. non ſimpliciter,ſed per modum ſimilitudinis,ac receptionis fieri oportebat. Hanc igitur mentem,ſiue intellectum nuncupare placuit: qui noſtri quaſi animi oculus, etſi ſuapte natura ſolers & perſpicax;corporeis tamen uinculis conſtrictus,materiæq. tenebris obrutus,quo tempore nimirum in lucem edimur, ſolam ſui quandam poteſtatem,animo infixam habet ad inſtar tabellæ;in qua nihil pictum extet. Quem rurſus ut ad cognitionis intelligentiæq. actum ueluti è tenebris euocaremus, uim quandam aliam,ratione ſaltem diſtinctam in anima aſsignare operæpretium fuit:quæ actu exiſtens ſuo lumine et efficientia res potentia intellectiles, actu intellectiles redderet: unde et ipſa intelligentiæ operatio prodiret: quam agentem intellectum nuncuparunt.Atq. hactenus ordine fere naturæ,qui cõpoſitionis eſt,noſtri animi partes et munia pro multiplici rerum cognitione conſequenda enumerauimus. Nunc vero contraria ferè methodo ex finis notione facultatum animæ neceſsitatem,ordinemq. inueſtigemus.

Humani animi nobiliſsima pars ſeu facultas, ceterarumq. omnium faſtigium ac ueluti finis,intellectus eſt: ad quem aliæ omnes potentiæ tamquam optimum et diuiniſsimum referuntur. Huius operatio eſt omnia intelligere,tam materiæ cõiuncta,quàm abiuncta cogitatione, donec ad ea perueniat quæ ſecundum eſſentiam à materia ſunt ſeparata. Primùm autem res materiales ſenſiles intelligendæ fuerunt: quare intellectus ſubſtantia, quamuis ipſa per ſe à materia ſit ſeparata et ſeiuncta,pro rerum tamen ſenſibilium cognitione ſenſibus complicata et coniuncta eſſe debuit,ut eorum miniſterio et ope ad rerum ſenſilium cognitionem perueniret. Quia uero obiecti ad facultatem cognoſcentem neceſſaria quædam proportio intercedit, intellectus ſuapte natura immaterialis,rerum ſenſibilium ſpecies,abſq. omni materiæ labe, modo proprio recipere debuit. Sed cum ab extremo ad extremum per gradus mutatio fiat; nec poſsit confeſtim ſpecies ex ſenſilibus rebus deprompta, ad intellectum deferri; præuiis quibuſdam animi notitiis opus fuit; quæ accidentia ipſa imagineſq. illorum per exteriores ſenſus gradatim exciperent,et ad interiores purioreſq. ſenſus,communem ſcilicet ſenſum,phantaſiam,memoriamq. delatas, à materiæ ſordibus paulatim eluerent. Ad phantaſiam itaq. cùm pri-

mùm ſpecies ſenſibilis deuênit,adhuc materiæ ueſtigia retinet: quandoquidem temporis lociq. ambitu et circumſtantiis deſcribitur;quæ rei eſſentiam alioqui illuſtrem et uniuerſalem obſcurant atq. determinant. Quapropter non antea intelligetur,quàm intellectum excitet, et moueat:nec prius intellectum mouebit,quàm materiæ umbra,quæ intellectioni obſiſtit,agentis intellectus lumine fugata,atq. excuſſa, ex ſingulari uniuerſalis,ex ſenſibili intelligibilis ſpecies reddatur: quæ in intellectu poteſtatis recepta intellectionem producat,qua de re copioſius ſuo loco diſputabitur.Hæc ſunt quæ ſummatim de animæ potentiis,earumq. ordine et nexu ex Ariſtotele,ceteriſq. Peripateticis tamquam præludia præmittere viſum eſt.Nunc tuam de phantaſmate ſententiam proſequamur.

Phantaſmatis uniuerſitas euertitur; XXXIX. Contextu tertij libri de Anima prius explicato.

CAP. III.

PRæmiſsis iis,quæ ex Ariſtotelis,Peripateticorumque interpretum ſententia de animæ facultatibus ſuperiori capite notauimus,antequam ulteriùs diſputatio protrahatur,Ariſt. locus à te citatus explicandus eſt ex particula XXXIX. tertii libri de anima, quo pulchrè ſententiam tuam confirmari arbitrabaris, cuius uerba ita ſe habent. Cùm autem nulla res ſit,præter magnitudines, ſeparata, vt uidentur res ipſæ ſẽſibiles; in ipſis profectò ſenſibilibus formis ipſæ ſunt intelligibiles formæ tum earum rerum, quæ abſtractæ uocantur,tum eorum etiam ſenſibilium, quæ ſunt habitus atque affectus. Idcirco & qui non ſentit, nihil diſcere,uel intelligere pote; & qui contemplatur, neceſſe eſt ut unà cum phantaſmate contempletur. Ipſa namque phantaſmata,ueluti ſenſibilia ſunt,attamen ſine materia. Cùm itaque Ariſtotel. initio VIII. Cap. oſtendiſſet,animam humanam eſſe quodammodo omnia: quia ſenſus & intellectus partim ſub primo,partim etiam ſub ſecundo actu,quatenus rerum omnium formas & ſpecies in ſua ſubſtantia recipit,ille quidem omnia ſenſibilia,hic uerò omnia intellectilia euadit; ne quiſpiam proinde exiſtimaret,intellectum per ſe, propriaque uirtute formas ſeu ſpecies intellectiles ueluti ideas quaſdam à ſenſibili materia ſeparatas intelligere; ut hunc ſcrupulum tollat, oſtendit neceſſariam intellectus cum ſenſu cõnexionem in hanc ferè ſententiam.Et ſi anima humana omnes rerum formas intelligat, fiatque quodammodo omnia,nõ tamen id poteſt per ſe præſtare defectu obiecti: neque enim formæ ſunt ſeparatæ,ſed in materia ſenſibili poſitæ, ut propterea eas non nudas,aut uacuas,ſed in ſenſilibus formis exiſtentes,nedum naturales

rales, ſed & mathematicas, ſenſuum miniſterio cognoſcere cogatur. Quod cùm ex noſtro diſcendi modo, tum etiam experimento confirmat. Ita enim intellectus à ſenſibus pendet; ut deficiente aliquo ſenſu utpote uiſu, neque colorum, neque ullam omnino earum formarum cognitionem conſequi valeat, quæ per eum ſenſum eſt apta comparari. Quin & illud in nobis experimur, intellectum noſtrum nihil poſſe aut intelligere, aut meditari; niſi idôla, & ſimilitudines quaſdam ſibi animo effingat: ad quæ, dum cogitat, ſeſe determinet, atq; conuertat. Atq; hæc ſanè ſpectra ipſa ſunt phantaſmata, rerum uidelicet ſenſibilium imagines, eo tantũ ab iis differentes; quòd res, à quibus phantaſmata eliciuntur, materiam habent: phantaſmata vero ipſa ea ſcilicet materia carent, ex qua res ſenſibiles conſtant. Quod prius in vniuerſum de omnibus ſenſibus docuerat cap. xii. 2. lib. iis uerbis. Hoc autem vniuerſaliter accipere de omni ſenſu oportet, ſenſum inquam id eſſe, quod ſenſibiles ſine materia formas ſuſcipere poteſt; perinde atq; annuli ſignum ſine ferro, uel auro ſuſcipit cera: ſuſcipit autem æneum, uel aureum ſignum, ſed non ut æs aut aurum: neq; ſignum, ut eſt aureum uel æneum. Vnde patet, non omnem à ſenſibus ſpeciebus materiæ rationem negari. neq; enim ſignum, in cera impreſſum, eſt omnino ſine materia; ſed eſt ſine materia annuli ænea, uel aurea; cuius effigiem repræſentat. Ex loco itaq; Ariſtotelis citato corollarium ſequitur; quòd, quemadmodum ſenſus in ſenſionis opere producendo, à ſenſibilibus obiectis extrinſecus occurrentibus pendet; ita intellectus, ut intellectionis munus exerceat, neceſſario eget concurſu phantaſmatum. Hæc, ni fallor, ſumma eſt ſententiæ Ariſtotelicæ, in particula à te citata, expreſſæ. Nunc, quæ tu ex eo deducere conaris, ſigillatim ſpeculemur. Primum tuum corollarium elicis iis uerbis. Hinc patet, ſpecies intellectiles non in rebus, ſed in ſenſilibus formis intelligi. Si ſcriptum tuum contradictionis, nõ ueritatis ſtudio impugnarem; tuum hunc dicendi modum non modò improprietatis arguerem, ſed etiã conſecutionem meritò negarem. Neq; enim ſequitur: ſpecies intelligibiles ſunt in ſenſilibus formis, ergo in iis intelligun tur, ſiquidem hoc repugnat intellectioni, quæ abſtrahit a ſenſu et à materia. Nec proprie dicũtur ſpecies ſenſu aut intelligentia cõprehendi, obiecta potius, & res, quæ per ſpecies repræſentantur, eæ ſunt, quæ uerè ſub intelligentiam, & comprehenſionem cadunt: niſi forte dicamus, ſpeciem intelligi reflexa cognitione; quia intellectionis modus, quo res intellectui repræſentatur, exiſtit. Sed tranſeat hoc; & ad alia properemus. Subiicis poſtea: phantaſmata uerò, quæ ſunt in ſenſibilibus formis, omnino ſeparata ſunt a materia: quia ſi materiæ conditiones retinerent, non diſtinguerentur a formis ſenſibilibus. Senſibilium formarum nomine interpretes omnes phantaſmata expoſuerunt.

runt: tu autem hoc in loco phantaſmata à formis, ſeu ſpeciebus ſenſibilibus ſeparas; et paucis uerbis nomen illud æquiuocum facis. Aut igitur alio uocabulo uti oportebat, aut exponere, et explicare; quidnam per ſenſibiles formas intelligeres. Sed æquiore ſenſu tua uerba interpretemur. Si formas ſenſibiles, quæ ſunt in materia, et quæ res naturales conſtituunt, intelligas; non uideo, quonammodo ad hunc locum pertineant, et cur non ſit falſum conſequens deductum, phantaſmata eſſe in ſenſilibus formis, cum ſint in anima. Fortaſſe dices eſſe in ſenſilibus formis, tanquam in fundamentis, unde phantaſmata eruuntur: Sed hoc nihil eſt dictu: nam phantaſmata ſimulacra ſunt totius concreti, non formæ ſolùm. Sed utcunq. intellexeris, quomodo phantaſmata in ſenſilibus formis poſita à materia conditionibúſq. materiæ abſtracta ponis ſi nihil per ſe ſenſibile eſt niſi cum materia, aut in materia. Nunc rationem uideamus et expendamus, qua illud a-
„ ſtruis, quia ſcilicet ſi eſſent in materia, non diſtinguerentur à ſenſilibus
„ formis. Primùm diſtinctio hæc phantaſmatum a ſenſilibus formis (quod ad hunc locum attinet) reiecta eſt. Sed ſumamus, ut tu ipſe ex propria minerua intelligere uideris, formas ſenſibiles, quæ ſunt in materia ſenſibili, phantaſmatáq. earum repræſentatiua faciamus, an non formæ illæ ſenſibiles differunt tum à phantaſmatibus, tum à ſpeciebus, quæ ſunt obiectæ ſenſibus, quòd formæ illæ reales omnino ſunt immerſæ materiæ ſenſibili, ſpecies autem licet materiæ modum in repræſentando retinent, rerumq. ſenſibilium præſentiam extra animam neceſſariò requirant; ſunt tamen ab ea reipſa ſeparatæ: phantaſmata uerò nec materiam ſenſibilem requirunt, nec materiæ præſentiam: ſed materiæ tantùm conditiones et circumſtantias retinent, loci, temporis, figuræ, magnitudinis: quod teſtatus eſt Alexander primo de Anima capite de intellectu practico et ſpeculatiuo, iis uerbis: Porrò,
„ quemadmodum ſenſus per ſenſibilium formarũ ſuſceptionem in actu
„ redditur abdicata materia, non diſsimili ratione intellectio, formarũ
„ citra materiam ſuſceptio eſt, et eatenus à ſenſuali ſuſceptione differre
„ uidetur, quatenus tametſi ſenſus citra materiam ſenſiles formas, ita ta-
„ men formarum ſuſceptionem facit, quaſi formæ materiæ inſint; com-
„ munia quippe ſenſilia, quæ propriorum ſenſilium ſuſceptionibus ad-
„ iuncta et complicata ſunt, formas ueluti in materia conſtitutas, ſuſcipi
„ teſtantur. At uerò intellectus neq. more materiæ ſpecies recipit, neq.
„ perinde atque eas ſpecies, quæ aut ſint in materia, aut unà cum mate-
„ ria poſsideantur. Iuxtà quos materialium formarum ordines, quattuor abſtractionis gradus eleganter diſtinxit Albertus Magnus in ſuis commentariis ſecundi libri de anima, tractatu tertio capite quarto: et poſt eum M. Antonius Zimara theoremate x c i x. Addis

pulchram deciſionem, quæ quàm bellè cum præmiſsis cohæreat, tu ipſe iudicato. Quæ cùm uera ſint, phantaſmata, inquis, ſi pro ſpeciebus ſenſibus ſumantur, materiæ conditiones retinent: ſi pro ſpeciebus quæ illis inſunt, nec materiam, nec materiæ conditiones habent. Tanta eſt uis ueritatis, ut inuitos quandoq. etiam fateri cogat quod nolint. Iam per ſpecies ſenſibiles phantaſmata intelligis, eóq. modo ſumpta cum materiæ conditionibus exiſtere fateris. Ego uerò amo probitatē uel potius ingenuitatem tuā, quamquàm ut erroris retractationem diſsimules, dicas te inter diſputandum, phantaſmatis nomine non ipſum phantaſma, ſed ſpeciem phantaſmatis intellexiſſe in phantaſia exiſtentem: quam neque materialem, neque ſingularem, ſed uniuerſalem eſſe contendis. Quibus uerbis duo aſtruis in phantaſia, phantaſma ſcilicet, quod materiæ conditiones retinet, et ſpeciem eiuſdem phantaſmatis uniuerſalem, quam et phantaſma appellas, fortaſſe quia ſpecies phantaſmatis. Quæro abs te, an ſpecies hæc phantaſmatis idem ſit, quod ſpecies intelligibilis? quidni ſi uniuerſalis eſt? cur ergo phantaſmatis ſpeciem appellas, ſpecieiq. ſenſibilis ſpeciem facis, et non potius rei, quam repræſentat? Sed humanius tecum agamus, ualeátq. modus ille loquendi, alioqui in philoſophia minimè receptus. Si ſpecies illa immaterialis phantaſmati ineſt, ut ipſe affirmas, uel actu, uel potentia inerit. Non actu, nulla enim facultas actu uniuerſale recipit aut cōprehendit præter intellectum. Præterea nulla opus eſſet illuſtratione agentis intellectus, ſi phantaſmatis ſpeciem in phantaſia uniuerſalem aſtruis. Quòd ſi potentia ſpeciem intellectilem in phantaſmate ponas, ad quod, tanquam ad ultimum perfugium, de aliis omnibus depulſus, recurriſti, etſi poteras initio opportunius tuam animi ſententiam aperire; docebo tamen neq. tutam tibi eſſe receptionem hanc, ut poſsis tuum illud paradoxum ſeu admirabile propoſitum ab errore uindicare. Si enim ſpecies uniuerſalis, phantaſmati quod actu ſingulare eſt, potentia ineſt, quomodo ab eo omnes materiæ conditiones ſeparas? cur etiam a ſpecie intelligibili diſtinctam negabas? Præterea cur ſine diſtinctione phantaſma pro ſpecie intelligibili impropriè uſurpas hac quod potentia tale eſt pro re actu exiſtente ſumis? quod perinde eſt, ac ſi hominem ſignificaturus, ſemen dixeris. An uerius dixiſſes ſpeciem rei quæ ſub phantaſiam cadit, quàm ſpeciem phantaſmatis? Quòd uerò in eum ſenſum phantaſma minimè acceperis, apertiſsimè teſtatur argumentum tibi propoſitum: in quo de eo phantaſmate ſermo erat, à quo uniuerſalis ſpecies per abſtractionem elicitur, quod non alia certe ratione fit, niſi quia phantaſma actu ſingulare, et materiale agentis intellectus lumen requirit, ut uniuerſale fiat. Cùm igitur iis modis euadere tentaſſes re infecta, aliò tibi confugiendum putaſti, ad ipſam ſcilicet phantaſmatis eſſentiam. Vnus, duo, tres. Ita Plato Timæum inchoat.

choat. Materia ſenſibilis, à qua abſtrahit phantaſma; ſpecies uniuerſalis in phantaſmate, potentia exiſtens, ac demum eſſentia phantaſmatis, tres tibi modi ac ueluti propugnacula fuere; quò te ab urgente ueritatis ui ac robore, cui cedere æquius et glorioſius ſemper fuit, quàm pertinaciter aduerſari, recipere tentaſti. Vnde mutato (quæ tua induſtria eſt) quæſtionis titulo, eóq. roſtris affixo, magnifico uerborũ apparatu, quæſtionem unã explicaturũ, te uel potius demõſtraturũ pollicitus es. an ſcilicet eſſentia phãtaſmatis ſit uniuerſalis: quod quàm bene præſtiteris, videamus. Nonnulla de hac quæſtione initio præfatus, phantaſma tandem dupliciter diſtinguis, tum ſecundum eſſentiam, tum etiã ſecundum repræſentationem: ac pro eſſentia conſideratum, non rectè nos dixiſſe, phantaſma eſſe ſingulare; cum eius eſſentia uniuerſalis ſit. quod nonnullis rationibus ducentibus ad incommodum, perſuadere laboras. Altera uero ex parte, qua phantaſma ſub repræſentationis modo accipitur, ſingulare, ac cum materiæ conditionibus exiſtere ingenuè fateris. Quam ſanè egregiam tuam determinationem, qua ex parte, veritate conuictus, palinodiam canis, libenter atq. æquo animo accipimus: quatenus verò tua ea diſtinctione, quam fortaſſe bonus aliquis genius tibi in anguſtias redacto dictauit, quæſtionem inuoluere putas; à tuo hoc dicto ad doctiſsimos tot uiros, qui diſputationibus interfuere, tamquam ad iudices incorruptos ac locupletes anteactarum rerum teſtes, appellamus. Qui quidem omnes longè, latéq. teſtati fuere, ne uerbum quidem ullum inter nos factum de phantaſmatis eſſentia: ſed ſemper de eo, quod eſt in phantaſia. Sed age diſtinctio admittatur. illud certe erat explicandum, quid per phantaſmatis eſſentiam intelligeres, et quibus fundamentis uniuerſalem ſtatueres; ne illud de te diceretur, quod de Pythagoræ diſcipulis ſcriptum legitur: quos ferunt, cum aliquid inter diſputandũ afferrent, atq. ab eis quæreretur, cur ita eſſet, reſpondere ſolitos, Ipſe dixit. Nos uero, ut muneri quod tibi incumbebat gratioſè ſatisfaciamus, phantaſmatis eſſentiam eſſe eius definitionem formalem aſſerimus. quæ ita ex Alexandro, atq. Themiſtio afferri poſſe uidetur, vt ſit ſimilitudo ſeu imago rei ſenſibilis, quæ in phantaſia expreſſa ſeruatur, re ipſa ſenſibili abſente. Si itaq. eſſentiam pro definitione ſumpſeris, phantaſmaq. ea ratione uniuerſale dixeris, quia definitio vniuerſalis, quod commune eſt omnibus et ſubſtantiis et accidentibus; quid ad noſtram controuerſiam et argumentum? Rurſus, an eſſentiæ phantaſmatis, eo modo conſiderata, ad phantaſiam, an ad intellectum potius pertinet? Si uerò eſſentiæ nomine phantaſmatis naturam, ut in phantaſia exiſtit, ſignificare volueris, tantum abeſt, vt uniuerſale facias, vt potius uel eo maxime nomine ſingulare aſtruatur. Nam, cum rerum ſimilitudines atq. imagines ipſum quod habent, eſſe in relatione ad id quod repræ-

ſentant, poſitum habeant; ab eoq. omnem denominationem ſuſcipiant, phantaſmatis eſſentiam, quæ eſt rei ſingulæ, et materialis repræſentatio, materialem et ſingularem fateri neceſſariò cogeris. Ita enim et ſpecies unaquæq. intelligibilis, etſi una numero, vniuerſalis tamen dicitur: quia uniuerſaliter repræſentat. Præterea, ſi phantaſmatis eſſentia eſt repræſentatio, et eſt uniuerſalis, ergo ab intelligibili ſpecie non differet, niſi ex modo repræſentandi: quem ſingularem eſſe fateris: atq. ita accidente tantum different phantaſma et ſpecies intelligibilis, cùm vtriuſq. eſſentia ſit uniuerſalis. Quò poſito nō uideo quemadmodum potentiæ ipſæ realiter et eſſentialiter diſtinguantur, ſi obiecta ſolo accidente diſcrepent, et non potius formaliter per diuerſas quidditates. Deinde ſi modus repreſentandi phantaſmatis eſt ſingularis, quia in ſenſu, qui eſt materialis, cur non ſimiliter eius eſſentia quæ eſt repreſentatio? niſi eam fortaſſe in intellectu ponas, quo quidem modo non amplius phantaſmatis, ſed intelligibilis ſpeciei rationem habet. Poſtremò, vt nihil intentatum relinquamus, quò poſſit tua hæc diſtinctio ad probabilem ſenſum quomodocunq. trahi; eſto, quòd per eſſentiam eſſe, ſiue entitatem (ut recepto ſcholaſticorum uocabulo utar) licet improprie ſignificare uolueris, phantaſmaq. non pro formali eius ratione, ſed pro concreto materialiter ſumpſeris; tum abs te ſciſcitor, an phantaſmatis eſſentia, vel potius entitas, ſubſtantia ſit, an accidens? Non ſubſtantia, quia in alio: igitur erit accidens; uel ergo relatio, uel qualitas ex quarta ſpecie ſub habitudine et relatione. Sumamus itaq. quod probabilius eſt, eſſentiam uidelicet phantaſmatis non eſſe nudam relationem, ſed qualitatem ſpiritalem ex quarta ſpecie, quæ reſpectum et relationem connotet: tum certas eius cauſas ſaltem proportione quadā aſsignare licebit, materiā, efficientem, finem. Materia ex qua nulla eſt, phantaſma enim ſimplex eſt forma: ſubiectū verò, ſeu materia in qua; ſpiritus ſunt uitales, uel animales in corde, uel in cerebro ſiti in quibus hæret imago illa: efficiens eſt obiectum mouens: quidditas inhærentia, uel repræſentatio: finis cognitio rei, per ſpeciem repreſentatæ. Quæ cum ita ſe habeant, ſi phantaſmatis eſſe, et natura eſt, qualitas et reſpectus in materia tenuiſsima, ipſis nimirum ſpiritibus hærens, an illud vniuerſale dicemus? Deinde ſi eſſe phantaſmatis eſt vniuerſale, uel ante multa, uel in multis, uel poſt multa, tot enim modis philoſophi vniuerſale diſtinguunt. At nō ante multa (eſſet enim idea) neq. etiam poſt multa: quod eſt uniuerſale logicum fabrefactum ab intellectu: Neq. uero eſt uniuerſale in multis: quod extra animam, non in anima exiſtit. Nullo igitur modo vniuerſale. Præterea uniuerſale, quod eſt in multis, potentia eſt in rebus, actu vero in intellectu: At quod ſecundum eſſentiam tale eſt id nō potentia ſed actu tale exiſtit, quare phantaſma eſſet actu uniuerſale; quæ omnia

nia abſurda ſunt,et a ueritate longè abſunt. Sed res meo quidem iudicio non ſatis digna uidetur,quæ refutationem mereatur.

Argumenta pro phantaſmatis vniuerſitate allata diluuntur.

Caput IIII.

RESTAT,ut rationibus reſpondeamus,quibus phantaſmatis vniuerſitatẽ deducere laborabas. Quot igitur planetæ,totidem argumenta, ſi tamen Dialectici ea eſſe argumenta concedant: quibus promiſcue ex antecedentibus conſequentia inferuntur,nulla interim conſequentis deductione,aut probatione adiecta:ſine quibus principium petitur, irritaq. omnia et caſſa euadũt. Sed tu fortaſſe breuitatis ſtudio probationes prætermiſiſti. At nos qualiacumq; argumenta ſint,ea ſigillatim conſideremus. Ais in prima ratione;ſi phantaſmata eſſent ſingularia; non differrent ſpecies ſenſibiles,quæ ſunt in anima, à rebus ſenſibilibus extra animam: quod ſtatim corruit ex iis, quæ capite ſuperiori tradita ſunt. Diuerſa enim ratione res ſenſibiles, et phantaſmata dicuntur ſingularia: quippe quòd res ſenſibiles extra animam ſunt ſingulares per materiam ſolidam,craſſam, corporatam, et ſenſibus peruiam: phantaſmata vero ſecundum eorum eſſe ſunt in materia tenuiſsima,in ipſis videlicet ſpiritibus,qui ſua tenuitate ſenſus ſubterfugiunt. Differunt quinetiam alia ratione,quòd res ſenſiles habent eſſe abſolutum, ſuntq. ſingulares per propriam exiſtentiam: at uerò phantaſmata dicuntur ſingularia,quia ſunt ſimilitudines rerum ſingularium repræſentatiuæ. Secundo loco aliud incõmodum trahis, conſequi videlicet,ut ſenſibili ſuper ſenſum poſito,ſenſionis opus ſequatur: quod Ariſtoteli pugnare uidetur,perinde ac ſi Ariſt. placitum illud vniuerſale ſit: quod etſi in ſpiritalioribus ſenſibus,uiſu, auditu, ac fortaſsis etiam in odoratu locum habere exiſtimatur,non tamen generatim in omnibus. Siquidem Alexander,aliiq. illuſtres Peripatetici tactum et guſtatum non per ſpeciem,ſed per ipſam qualitatis ſuſceptionem abſq. medio fieri volunt. Sed in re valde ambigua eſto, quòd Ariſt. placitum ſit vniuerſale,ſenſilia videlicet omnia, ſenſorio immediate appoſita ſenſionem impedire,intelligendum eſt de externis ſenſibus,quæ per determinata patentiaq. organa fiũt ex ſpeciei ſuſceptione: obruitur enim et occupatur oculus rei materialis craſsitudine,quo minus ſpeciem ſuſcipiat,ſi res ipſa uiſilis oculum tangat, ideoq. certa diſtantia requiritur,ut ſpecies in oculo producatur. Secus uerò eſt de phantaſmate in phantaſia: quod preterquàm quòd ſenſibili materia caret,quæ organum tangens ſenſionis impedimentum eſt, non etiã eo modo recipitur in phantaſia,quo res uiſilis, ſi extra oculum poſita illum

illum tangeret. Nam etſi ſub materiæ conditionibus rem ſenſibilem repræſentet,ſitq. in ſpiritibus tamquam in materia, ſpiritaliter tamen in phantaſia excipitur,imagoq. illa in ſpiritibus impartibiliter imprimitur. Addis tertio loco ſimilem fore imaginationem ſuſceptioni imaginis in ſpeculo: quod ſi concedatur, non ideo ſequitur eſſe eandem, quamquam in parte conueniant. Differunt tamen, quòd imago in ſpeculo,tamquam in re ſolida cum extenſione ſine cognitione ſuſcipitur:at phantaſma impartibiliter in anima exprimitur cum iudicio et cognitione. Quod autem poſtea efficere niteris, phantaſmata ſi ſint ſingularia,non eſſe qualitates,ut ais,intentionales,nullo negotio diluitur. Nam ſecundũ eſſe,quod habent in ſpiritibus poſitis in cerebro, uel in corde,qualitates ſunt reales ex quarta ſpecie, non quæ ſubiectũ afficiant,qualeq. denominent,ſed incorporeæ,et ſpiritales: quatenus uero res ſenſibiles repræſentant,atq. ad earum notitiam perducunt, intentionales dici meritò poſſunt. Tria deinde alia incommoda deducere conaris ex phantaſmate ſingulari. primum,quia phantaſia non diſtingueretur à ſenſu, deinde,quia non poſſet ſpeciem intelligibilẽ producere,poſtremò quia cogeremur ponere organum pro phantaſmatis ſuſceptione. Quæ omnia,utcunq. deducantur,neſcio quo pacto inter abſurda reponas. Nam etſi Ariſt. phantaſiam à ſenſibus externis diſtinguat,non tamen ſenſum eſſe negat,cum facultas ſit materialis media inter ſenſus externos et intellectum. Eſt igitur et ea facultas ex ſenſuum ordine,eo tantũ differens,quòd externi ſenſus rei ſenſibilis præſentiam requirunt: phantaſia uerò rei ſenſibilis puriorem ſpeciem, re etiam abſente,retinet,qua poteſt imaginari, et de ſenſibilibus rebus, ipſis etiam abſentibus,cogitare. Quod uerò obiicis, illud præterea ſequi non poſſe,phantaſma ſingulare ſpeciem intelligibilem producere,etſi non deducas, ego tamen diuinare auſim cur ita cenſeas: quia ſcilicet nihil agit ultra proprium gradum:nec poteſt efficiens aliquod effectum per ſe producere,ſe ipſo nobiliorem. Sed illud uelim exiſtimes,phantaſma non eſſe id,quod ſpeciem producit,ſed potius id, ex quo ſpecies ipſa lumine agentis intellectus eruitur. Inferebas et illud poſtremò,fieri neceſſariò,ut phantaſia organo egeat: quod ut pro abſurdo colligis,ita ego neceſſarium ac ueriſſimum eſſe puto. Si enim ſenſus ab intellectu diſtinguitur,quòd ille organo utitur: intellectus uerò nulli organo eſt affixus,cur pro incommodo infers, phantaſiam quæ in numero ſenſuum internorum reponitur,corporeo organo uti? An phantaſiam,aliosq. ſenſus alii in cerebro,ut Plato,et Galenus: alii in corde poſuere,ut Ariſtoteles:qui cor omnium ſenſionum centrum eſſe uoluit? An Albertus, aliiq. illuſtres interpretes determinatos etiam cerebri uentriculos internis ſenſibus aſsignarunt? Hæc ſunt, mi Berga,quæ non temerè,aut ſponte,ulloue contradicendi ſtudio addu

cti, ſed potius à te prouocati et quodammodo coacti, quantum temporis anguſtiæ publiciq. muneris occupationes ferebant, pro noſtra ſententia ſcripſimus. quibus ſi ita reſponderis; ut philoſophum bene inſtitutum decet; diligentius hæc conſiderandi, atq. expendendi occaſionem præbueris. Si uero ad eorum, quæ inter nos acta ſunt, diſſimulationem, aut ad conuitia, quò ſe maxime recipiunt, quibus rationes deſunt, confugeris (quod tamen de te, tuaq. doctrina, ac uirtute minime exiſtimo) rem totam doctiſsimorum huius Academiæ uirorū, præcipue uerò Antonii Bocchii Archiatri, Ioanniſq. Argenterii, quos locupletiſsimos rerum noſtrarum teſtes habuimus, iudicio committam, ne uidear amplius in re inani bonas horas conſumere.

AVGVST. BVCCII DE SPECIE INTELLIGIBILI DISPVTATIO SECVNDA.

Ad Francum Spinulam Virum illuſtrem.

CUM ad præmiſſam de Phantaſmate diſputationem alias nonnullas quæſtiones partim cum illa connexas ac ueluti ex eodem fonte manantes, partim etiam à nobis eodem ferè tempore obiter inter legendum explicatas ſubijcere, earumq. ſingulas ueluti noſtrarum lucubrationum primitias uiris quidem de me, meiſq. omnibus, aut de ipſa ſaltem Philoſopia optimè meritis offerre inſtituiſſem: tu, France Spinula, inter ceteros occurriſti; cui utroq; nomine hanc de intelligibili ſpecie diſceptationem dicarem. Scio enim quàm amanter Philippū fratrem mihi cariſsimum Romæ omnibus beneuolentiæ officijs complexus fueris, mihiq. cùm primum te de facie noui, omnem tuam operam et ſtudium humaniſsimè pollicitus fueris: quo etiam tempore te Philoſophiæ ſtudijs mirificè oblectari intellexi. Quapropter minimè ueritus fui hanc tibi ſummæ meæ erga te obſeruantiæ, etiàmquàm tenuem, ſignificationem facere: quam ſi approbaueris, gratamq. & acceptam habueris, erit ut mihi ipſi ea in re plurimum gratuler & læter. Uale meiq. memor eſto.

AVGVST. BVCCII DE SPECIE INTELLIGIBILI. DISPVTATIO SECVNDA.

Quid ſit intellectus. Phantaſma non poſſe mouere intellectum. Materiam intellectionem impedire. Abstractionis ſpecieiq. intelligibilis neceſsitas oſtenditur. Item ſpeciem intelligibilem ab intellectione diſtingui.

CAP. I.

OMNIS cognitio noſtra, ſiue ſenſus, ſiue intellectus, quamdiu anima corpori connexa eſt, ſpecie neceſſario indiget ueluti medio et inſtrumento; quo res omnes quæ extra animam ſunt per propria uniuſcuiuſque facultatis obiecta animæ repræſententur, ab eaque ſimilitudinis modo cognoſcantur. Quapropter queadmodũ externi ſenſus ad ſpecies ſenſiles ſe habẽt, phantaſiaq. ad phantaſmata: ità intellectus potentia ad ſpecies intelligibiles, de quibus poſt diſputationem de phantaſmate agere inſtituimus. Quod ut certo ordine fiat prius uidendum eſt quid ſit intellectus, et quæ ſint eius facultates, ac cur non ſufficiant phantaſmata ad intellectionem producendam, ſed præter ea neceſſarium ſit ſpecies intelligibiles ponere: Eſt igitur intellectus animi noſtri facultas immaterialis, quæ quicquid eſt in natura recipere et cognoſcere apta eſt. At pro hoc ſtatu in quo cum corpore commercium habet, quod primum intelligendum occurrit, res eſt ſenſilis et materialis, quæ per phãtaſmata puriori modo, quàm per ſpecies ſenſibiles cognoſcitur: licet et ea quoad materiæ conditiones retinent nondum facultatem immaterialem poſſunt attingere, ſed potentia tantum intelligibilia ſunt: Quæ aſſertio ut planior fiat ſcire oportet, materiam quæ in ſui eſſentia potentiam adiunctam habet, non modò per ſe intelligibilem non eſſe, niſi actuum abnegatione, et proportione ad ſubiectam materiam formarum artificioſarum, ſed etiam obſtare, uel potius retardare, ne cætera eius naturæ participantia intelligantur aut cognoſcantur. Nam ut terra elementorum ueluti fex ſua denſitate, qua plurimam materiam adiunctam habet, corpus eſt opacum et tenebricoſum, quod et per ſe et in miſtione ſumptum illuſtrationi obſiſtit: ita in toto ſubſtantiæ genere materia fœda ſuaptéque natura obſcura per potentiam, quæ primus tenuiſsimúsq; entis gradus, eiúſque ueluti umbra exiſtit, nedum cognitu difficillima eſt, ſed et omnibus quæ ex ea conſtant tenebras et obſcuritatem offundit. Ex quo efficitur, ut omnia quæ materiam aut aliquod eius ueſtigium adiunctum habent,

potentia non actu intellectilia ſint puriſsima quidem iſta et ſplendidiſsima intellectus natura ita requirente. Phantaſmata itaque cum adhuc materiæ ueſtigia retineant, poteſtate non actu intelligi poterunt. Quapropter ut intellectionis actus ſequatur ad intellectum transferri debent, non eo quo ſunt modo, ſed ſub ratione ſpecierum uniuerſalium, quæ à materiæ circumſtantiis denudentur, ita ut intellectum perficere ualeant: Officium autem denudandi abſtractionem maiores noſtri nuncuparunt. Cum igitur intellectionis opus, ſit ueluti ſentire, quod ſanè in perpeſsione quadam conſiſtere uidetur, quatenus ſpecies in ſenſiterio expreſſa in anima ſuſcipitur; ut ſenſus, ità et intellectus ab obiectis in phantaſia repræſentatis extrinſecus occurrentibus pendet, ut propterea ex potentia et actu eius actio neceſſariò conſtet. Duas itaq. facultates animo ineſſe oportet, quarum altera ad inſtar materiæ rerum intelligibilium ſit aliundè actum et perfectionem recipiens, altera ueluti actus et entelechia. Neque uerò hæc ſufficiunt, quandoquidem neq. puræ potentiæ illi oppoſitæ actus ſtatim aduenit, neque ei antea immiſcetur, quàm agens per medium aliquod præuiaſq. diſpoſitiones ueluti formæ introducendæ ueſtigia iam aliquid in materia impreſſerit, quod eam moueat atq. excitet ad certã formã et actum ſuſcipiendum. Quemadmodum ergo ad perfectionẽ ſenſus, qui potentia eſt partim paſsiua, partim etiã effectiua nõ ſufficit præſentia obiecti, ſed præterea requiritur ſpecies, quæ ſenſiterio impreſſa actu potentiã moueat. Simili ratione in ea animæ facultate paſsiua, quã intellectum poteſtatis, ac interdum etiam materialem ac tamquàm tabellam raſam omni inſcriptione carentem Ariſt. nuncupauit, neceſſe eſt aliquid recipi, aut potius imprimi, ſiue inſcribi, quod ſit ueluti forma cuius aduentu intellectionis opus perficiatur. Quod cum ipſum per ſe phantaſma præſtare nequeat, quoniam materiale eſt, intellectus uerò immaterialis, ideò alteram eiuſdem ordinis uim effectricem ueluti actum adeſſe oportuit, quæ ſuo lumine in phantaſmata ingruente, ac ab iis omnes materiæ tenebras depellente, puras uniuerſaleſq. ex iis notiones eliciat, quas tandem recipere apprehendereq. intellectus ualeat, ac deinceps componere, et diuidere, liberòq. in illis diſcurſu uerſari. Has itaq. notiones ſpecies intelligibiles Peripatetici nuncuparunt, quas qui negant uel à phantaſmatibus illuſtratis, ex quibus illæ puriori modo exurgunt, minimè diſtinctas ponunt, perinde ac ſi ipſa per ſe phantaſmata cùm primùm lumine agentis intellectus circumfuſa ſunt, intellectionem producere ualeant; præterquàm quòd Ariſtot. Græcorumq. interpretum ſententiam de modo intellectionis prætermodum diſtorquent, repugnantia etiam dicere uidentur. Niſi enim ex phantaſmate illuſtrato puriorem ac immaterialiorem ſpeciem elici, atq. à poteſtatis intellectu recipi fateantur, cuius benefi-

cio

cio intellectus ad primum ueluti actum deductus, ſeſe ad intellectio-
nem conuertat, hi phantaſma, quod materiali more repræſentat pa-
làm in facultate immateriali ponere coguntur. Nam cum intelligere
ſit pati, ut antea monuimus, apprehenſio fiet per ſuſceptionem in intel
lectu: quare cum non recipiatur res, ſequitur ſpeciem reiq. ſimilitudi-
nem eam eſſe quæ recipitur. Hæc uerò uel immaterialis et uniuerſa-
lis eſt, cuiuſmodi ipſa eſt ſpecies intelligibilis quæ controuertitur; uel
eſt cum materiæ circumſtantiis et ſingularis modoq. materiali repræ-
ſentans, quam ſi in intellectu eo modo recipi quiſpiam aſſerat, mate-
riale obiectum in immateriali facultate præter omnem rationem po-
nit. Præterea phantaſma ſtatim atq. agentis intellectus lumine collu-
ſtratum eſt, materiæ conditiones exuit, deſinitq. eſſe ſingulare, quare
neq. amplius phantaſma exiſtit, ſed puriorem quampiam et ſpirita-
liorem ſpeciem ex eo procreari neceſſe eſt. Quod Alexander teſta-
„ tus eſt ſecundo de Anima cap. xv. iis uerbis. Formæ, inquit, materia-
„ les ab intellectu intelligibiles redduntur cum ſint poteſtate intelligibi-
„ les, ſeparans enim ipſas à materia intellectus, cùm qua coniunctam eſ-
„ ſentiam habent intelligibiles actu facit, et tunc quælibet ipſarum quo-
„ ties intelligitur, tum actu intelligibilis, tum intellectus fit: intellectus
„ enim actiuus nil aliud eſt, quàm intellecta forma. Deindè niſi ità eſſet
ceſſante actu intellectionis non differret intellectus ſapientis ab intel-
lectu rudis ignariq. hominis, differunt autem per habitũ, habitus uerò
per aliquid inſitum, quod aliud eſſe nequit præter ſpecies impreſſas et
quieſcentes. Quod etiam confirmauit Alexander in lib. de Anima
cap. de intellectu agente iis uerbis. Intellectus namq. in habitu nihil
„ ferè aliud eſſe uidetur, quàm depoſitæ illæ coaceruatæ et quieſcentes
„ conſiderationes: quæ uerba ad unicum ſimpliciſſimumq. habitum re-
ferri nequeunt, niſi ſpecies in intellectu relinqui poſuerimus. Nec ui-
deo quemadmodũ intellectus in habitu ab intellectu poteſtatis ceſſan-
te intellectionis actu diſtinguatur, niſi in eo qui in habitu dicitur ſpeci
es impreſſas atq. inſcriptas poſuerimus, quarum beneficio poſsit pro
arbitrio ad contemplationis actum redire. Quod expreſſum uidetur
ab Ariſt. III. de Anima particula VI. cum dixit, intellectum locum eſſe
ſpecierum, locus autem in ſe non extra ſe recipit continetq. locatum.
Taceat ergo Henricus Gandauenſis, qui ità eũ locũ interpretatus eſt,
ut intellectus, ſpecierum quidem ſit locus, qui tamen eas non in ſe, ſed
in phantaſmatibus expreſſas habeat: quod ridiculum eſt non ſecus ac
ſi quis dicat, puteum locum eſſe aquæ, non in eo, ſed extrà eum poſi-
tæ. Neque uerò illud dicendum eſt ſpeciem intelligibilem reipſa
idem eſſe cum ipſa intellectione, aut ab agente intellectu unà cum in-
tellectione produci, quod et Buccaferrea in ſuis prælect. in xx. partic.
III. de Anima ex Græcorum ſententia affirmare eſt auſus. Idem enim
eſſet

eſſet facultas agendi, et eius actio. Præterea ceſſante actu intellectionis, ſpecies cum eo interirent, nec vniuerſalia in intellectu conſiſterent. Vniuerſalia enim non ſunt intellectiones ſed ſimilitudines conflatæ ab intellectu agente, ut tertio de Anima ſcriptum eſt. Rurſus habitus et operatio diſtinguuntur, ſiue operatio præcedat habitum, ſiue ſequatur; ideoq. intellectus ſpeculatiui habitus ab operatione ſeiungitur: cum igitur intellectio ſit operatio, habitus erit quippiam diſtinctum per aliquod ſibi inexiſtens, hoc autem quid aliud eſſe poteſt præter ſpeciem intelligibilem? niſi fortaſſe confugiat Buccaferrea ad habitus in anima latitantes atq. reconditos ad mentem Platonis in Memnone. Quapropter rectius dicetur ab agente intellectu prius natura ſpeciem ex phantaſmate expreſſam in intellectu poteſtatis recipi, ac demũ ab eodem intellectu per ſpeciem impreſſam informato intelligentiæ actum procedere, ita ut ſpecies poſt actum in intellectu maneant. Quod ſibi iure quodam intellectus vindicare uidetur, tùm quia ad habitus conformationem ac perfectionem aliquid inſitum requiritur præter vim eam quæ communis eſt intellectui poteſtatis, tùm etiam quia quicquid perfectionis eſt in ſenſu, id omne in intellectu præſtantiori modo relucet: ſenſus autem ſpecies ſeruat in phantaſia et memoria. Quo etiam fundamento Scotus aliiq. multi ex ſacra Theologorum ſchola ex eiuſmodi ſpeciebus in intellectu ſeruatis memoriam intellectualem poſuere; licet Ariſt. in lib. de memoria et reminiſcentia intelligibilium memoriam, quæ ſcilicet vniuerſalia antea cognita ac poſtea effluxa repetita recordatione exquirit, phantaſmatibus indigere affirmauerit. Conferamus igitur hæc in concluſionem ueram aſſerentes non ſolum dari ſpecies intellectiles, ſed etiam eas eſſe, quarũ ſigna ſunt ea quæ voce et ſcripto ſignificantur, ut patet initio lib. de interpretatione, haſq. ſimilitudines in intellectu poteſtatis differre ab intellectionibus, quod etiam atq. etiam illuſtrius fiet capite ſequenti.

Quo tempore atq. ordine intellectio ceteraq. cognitiones in nobis fiant. Item quæ principia neceſſaria ad intellectionem: et quid, ex quo, vnde, in quo, et per quod, obiectum intelligibile dicatur. *Caput II.*

NECESSITATE ſpeciei intelligibilis ad actum intelligentiæ demonſtrata, ſequitur explicandum quo ætatis tempore et quo nam modo intellectionis opus perficiatur: item quæ principia ſint ad intelligentiam neceſſaria. Eſt autem ab altiori principio, ex innaſcentis nimirum cognitionis noſtræ ordine res tota repetenda. Homo itaq. cùm primùm ex parentis ſemine in matris utero conceptus eſt, etſi una ſentiente anima informatus, torpeſcentibus tamen præ inſtrumentorum ignauia ſenſibus, ſtirpium more altricis tan

tum

tum animæ poteſtate,et miniſterio uiuit omni cognitionis lumine de-
ſtitutus. Quare uix animalis aut uiuentis nomine dignum fœtum
Ariſt.iudicauit,cùm nec nutritionis,nec motionis opus aliquod per ſe
exerceat. Vt enim plantæ ex terra per radices alimentum trahunt: ita
fœtus per umbilici uenulas in uterum diffuſas,menſtruo matris ſangui
ne alitur,augeſcit,conformatur. Verum enimuerò licet propria eius
uirtute ex alimento aliunde tranſmiſſo nutritio fiat,quia tamen utero
alligatus atq. annexus ad inſtar partis alitur,ac non ex peculiari ſenſu
ſed ueluti animati portio ad eius affectiones,triſteſq. uel iucundas ſen
ſiones motu agitatur,ideo nō antea uerè abſolutéq. animal dicitur,quā
ex quo tempore primum editus eſt. Ac tum quidem per infantiam
quæ primo ſeptennio continetur,quia rationalis anima, ratione intelle
ctus materialis,quem ab ipſo ſtatim ortu ueluti tabellam raſam ſecum
infantes afferunt,ſuæ intellectionis primordia ſumit a ſenſibus; partim
ob humidæ materiæ multitudinem craſsitudinemq. oppreſsis ac pro-
pè obrutis organis; partim ob uehementes perturbataſq. motiones,ac
propter incrementa corporis calido operante uegeto concitati,ſopita 39
iacenteq. ratione,ſola figura,inceſſu,ſermone ſimpliciq. apprehenſio-
ne pueri à belluis ſeparantur. Nam quod ad ſenſus attinet,cum tactus
ſymmetria,certiſq. reliquorū ſenſuum exquiſitis differentiis,homines
beſtiis maxime præſtent,uiſus tamen acie, odoratuſq. et auditus ui,
aliiſq. multis rebus humiliores et infirmiores ſunt. Quin interni eius
ſenſus,quem cogitationem Auer.nuncupauit, quo homines notiones
particulares per phantaſmata repræſentatas componunt ac diuidunt,
pueriq. patrem à matre; bonum à malo, expetendum à fugiendo
diiudicant,quem Ariſt.paſsiuum intellectum interdum nuncupauit,
non diſsimilem quandam ſpeciem in brutis expreſſam cernimus, cu-
ius beneficio ſaluti ſuæ conſulunt,noxia declinant,iucunda appetunt,
eaq. perſequuntur,in futurum ſibi proſpiciunt,admirabiliq. docilita-
te hominum mores et actiones pleraq. imitantur. Vndè et Ariſtot. in
lib. de Hiſtoria Animalium,et poſt eum Plutarchus in dialogo quem
de animalium ingenio ſcripſit adumbrata quædam in belluis ingenii,
prudentiæ,iuſtitiæ, animi magnitudinis, fortitudinis, liberalitatiſq.
ueſtigia non ſecus atq. in pueris expreſſa poſuit,ut propterea et ille, et
Galenus brutis animantibus rationis ſpeciem quandam tribuere non
ſint ueriti. Quapropter cum ſenſus et appetitus ferè omnes cum be-
ſtiis communes homines habeant, ſoloq. rationis uſu ab illis propriè
ueréq. differant,quem nō ab ipſo ſtatim ortu,ſed progreſſu ætatis pau
latim aſſequuntur,iiſdem ferè perturbationibus pueri agitantur, quas
in brutis uigere cernimus,utpotè timore,audacia,ira,cupiditate, ce-
teriſq. eius generis affectibus. Vbi uerò accedente tempore iam ſen-
ſuum inſtrumētis uegetioribus factis,ſpiritibuſq. qui antea præ nimia

eorum

Digitized by Google

eorum craſsitudine ad rationis et intelligentiæ munera inepti redde-bantur excalefacto per ætatem cordis temperamento tenuioribus red ditis, tum demum interni ſenſus, ipſaq. in primis phantaſia; iis quaſi uehiculis et inſtrumentis adiuti uigere, iudiciiq. et rationis lumen pro naturæ educationiſq. uarietate iis quidem ocius, iis uerò ſerius in animis emicare incipiunt. Ideoq. Alex. II. de anima cap. xxi. ſpirituum in intellectione neceſsitatem, et qualitatem inſinuans, non ante intelli-gentiam in nobis aduenire affirmabat, quàm ignis aut quippiã illi pro portione reſpondens generaretur, quo ueluti inſtrumento intellectus actu uteretur ad intellectionem producendam. Porrò cùm tres ſint intellectus operationes, ſimplicium uidelicet notionum appre-henſio, earumdemque a ſeipſis ſecretio, uel compoſitio, tertio lo-co diſcurſus atq. inquiſitio: prima ea quæ ſimplicium notionum ap-prehenſio eſt, primo quoq. triennio ab ipſis, ferè incunabulis nobis in-naſcitur. Nam et infantes ſimplices uoces et notiones parentum uel nutricum ore dictatas, uel primo ætatis anno apprehendunt; atq. in-telligunt, ipſa etiam ratione nondum excitata. Vnde et omnes uiros patres, omneſq. mulieres matres nullo delectu cùm primùm fari inci-piunt appellare ſolent. Tandem uerò paulò prouectiores facti appre henſas iam notiones componunt, diuidunt, diſtinguunt prius quidem temerè, deinde uerò conſultò, cum ſcilicet adumbrata iam ingenii et rationis ueſtigia elucent. Cùm igitur à celeri ea et præcipiti ſenſuum cognitione qua pueri antè rationis uſum ducuntur, animus ſeſe paula tim colligens non amplius temerè de rebus iudicat, ſed potius ex com munibus cum anima noſtra cognatis notitiis iam aliquid deducere, ac per rationem vtcumque efficere nititur, tùm in pueris ingenii lumen excitari, iiq. non amplius pecudum more, ſed propriam hominum vi-tam agere exiſtimantur. Vbi vero in intelligentia eos iam progreſſus fecêre, ut integrè incorruptèq. de rebus iudicare, rerumq. cauſas et rationes diſtinguere; nec amplius temerè aut inconſultò, ſed præmedi tatò ac præcedente conſilio et electione agere incipiant, tùm demũ ne-dum ingenio, ſed et iudicio homines præditos exiſtimamus. Ingenii namq. iudiciiq. voces partim idem, partim diuerſa ſignificant. Si enim id propriè ingenium eſt, quod Ariſt. viii. Topic. cap. xii. εὐφυΐαν nuncu pat quod et interpretes ingenium conuerterunt, quoniam et id in ueri falſiq. diſcretione verſatur, vel idem eſt atq. iudicium, vel ſola ratio-ne diſcrepant. Eſt enim iudicium ea animi facultas qua poſſumus ex multis rebus propoſitis rectè eligere uerum, falſumq. ab eo ſecerne re atq. diſtinguere, effectuſq. in ſuas cauſas et principia diſſoluere. Atq. ita vna eademq. reipſa animi uis ingenium et iudicium exiſtit, quæ tertiam intellectus operationem, rationatricem ſcilicet uel diſcur ſiuam dirigit, cui iudicii inuentioniſq. officia tribuimus, quorum ra-

tione

ſione tota ipſa diſſerendi facultas in duas primarias partes Analyticen et Topicen à Peripateticis diſtributa eſt. Quamquam et hæc ratione inter ſe quodammodo diſtinguantur: ſiquidem ingenium propriè rationum et mediorum inuentionem reſpicit, unde et ſolertiæ, celeritatis tarditatiſq. differentias ſibi uendicat: Iudicium uero reflexa in res iam inuentas denuò cogitatione eas exquiſitius repetit ac ad amuſſim expendit. Quòd ſi eum loquendi modum ſequamur, quo ingenii iudiciiq. uocabula ad popularem ſenſum accommodantur, diuerſam utrumq. ſignificationem obtinet. Siquidem uniuſcuiuſq. hominis naturam, ſeu potius docilitatem et captum ingenium uulgò appellant; iudicium uero eam animi uim, quæ uerum à falſo, bonumq. à malo diſtinguit et ſeparat. Quo quidem modo iudicium, quod propriè in intellectu conſiſtit, cum electione, quæ ad partem appetitricem ſpectat, promiſcuè confunditur. Non itaq. à ratione alienum fuit ad innaſcentis intellectualis notitiæ gradus exprimendos uulgata ingenii, iudiciiq. diſtinctione uti, ut primum illud ac ueluti inchoatum intelligentiæ lumen, quod ab ipſis ferè incunabulis igniculos quoſdam rationis præ ſe ferre uidetur, in ipſaq. apprehenſione notionumq. cōpoſitione ac diuiſione conſiſtit, ingenium: prouectius autem quod adoleſcente iam ætate emergit, iudicium; abſolutum uerò atq. integrum, quod longo rerum uſu atq. experientia cōſequimur, quodq. prudentiam actionum omnium moderatricem adiunctā habet, electio dicatur. Iam uerò ut modus quo intellectio in nobis fit, facilius habeatur, uidendum eſt quæ principia et media ad hoc opus ſint neceſſaria. Id autem reſolutione quadam hoc pacto venabimur. Noſtræ intellectionis opus non eſt æternum, ergo nouum et productum. Patet autem aſſumptum: neque enim intellectus noſter in ſimpliciſsima ea iugiq. contemplatione diuinarum mentium more continetur, ſed quandoque intelligit, quandoq. non intelligit; principio autem non intelligebat. Quapropter cum intellectio non ſit æterna ſed genita, omne autem quod fit, in aliquo, et ab aliquo fiat, ac id in quo aliquid fit tamquàm in recipiente, eius quod efficitur priuationem neceſſariò habeat, poteſtatemq. vt aiunt paſsiuam et ſuſceptiuam; id verò quod efficit et procreat vi quadam effectrice præditum eſſe oporteat; intellectio quæ de promptis fit atq. expreſsis in animo ſpeciebus ex patibili effectiuoq. principio, ac veluti ex poteſtate et actu neceſſario conſtabit. Neq. enim quod omni ex parte vnum eſt ac ſimplex agere ſimul poteſt et pati. Quapropter anima humana etſi ſimpliciſsima forma eſt atq. entelechia, compoſitionis tamen ſimilitudinem quandam admittit ex eo quod intellectionis poteſtatem habet, ac ex eius actu et perfectione. Porrò intellectus poteſtatis quamquàm ut potentia eſt, recipitq. omnia intellectilia materialis dicatur; intellectioni tamen à

D ſpecie-

ſpeciebus comparatus loci potius quàm materiæ rationem habet. Eſt enim principium non ex quo, ſed in quo ſpecies, intellectioq. ſuſcipitur. Varias itaq. habitudines induit: ſi quidem quatenus potentia eſt, ac ut ex eo ſpecieq. intelligibili fit unum per ſe materiæ proportione reſpondet, ut uerò ſpecies in ſe extrinſecus recipit, eaſq. continet, loci ſimilitudinem habet: qua vero ex parte ſpecies ſuſceptas iudicat, ac in iis cogitationem exercet, actiua facultas dici meritò poteſt. Porrò præter duo dicta principia alia concurrunt, quod ſcilicet intelligitur, ac per quod intellectio perficitur, tertio verò loco id ex quo abſtrahitur ſpecies, quæ eſt ratio intelligendi. Quod igitur intelligitur obiectum eſt, quod nedum intellectum mouet atq. excitat, ſed finis eſt ac terminus intellectionis. At verò proximum intellectionis principium per quod poteſtas intelligendi in actum educitur ſpecies eſt, per quam obiectum in anima repræſentatur, qua poſita ponitur, ſublata ceſſat intellectionis opus. Quia uerò ſpecies intelligibilis non caſſa imaginatione effingi, aut ex obiectis ſtatim deduci potuit, ſed medio et interuentu ſpecierum ſenſibiliū, ideò phantaſmate opus fuit, tamquā materia, uel potius fundamento ex quo ſpecies ipſa intelligibilis eliceretur. Ita quinque intellectionis principia ſtatuuntur obiectum, phantaſma, ſpecies intelligibilis, intellectus potentia, ac intellectus agens.

Intellectionis opus viſioni, phantaſmata coloribus, Intellectum potentia perſpicuo, agentem lumini, artiq. & habitui rectiſſimè comparari. Item quemadmodum hæc inter ſe conueniant & differant.

Caput III.

INTELLECTVS humani, quandiu in intelligendo a ſenſibus pendet, tanta eſt infirmitas atque imbecillitas, vt et ea quæ materiæ obſcuritatibus inuoluta ſunt, et quæ ſuaptè natura illuſtria notiſsimáque exiſtunt difficillimè apprehendat. Vnde Ariſt. eum non ſecus ad rerum notiſsimarum claritatem hebeſcere affirmabat, atque oculus noctuæ ad lumen ſolis. Sunt autem in natura notiſsima maximéque intellectilia Deus, diuinæque mentes, ac omnes demum ſubſtantiæ ſpiritales, quæ ab omni materiæ contagione immunes et liberæ exiſtunt. Sed et ipſemet intellectus eiuſdem ferè naturæ particeps, eò quod nec eius eſſentia, nec ipſa per ſe operatiò materiam admittant, ſeipſum ſuámque operationem maximè intelligere debet, quamquam obiecti alioqui ratione à phantaſmatibus pendeat. Quare vt ad ceterorum quæ ſeparata ſunt, ita et ad ſuæ eſſentiæ, propriæque operationis intelligentiam, intellectus ſe habet. Quemadmodum itaque ſubſtantias ſeparatas exiſtere neceſſariis quibuſdam

buſdam

buſdam coniecturis ex motu deſumptis intellectus deprehendit, earum uerò naturam ſimilitudine et proportione quadam ad res ſenſibiles explanat. Ita et ſuum eſſe ex ipſa intelligentiæ operatione animaduertit, et in ſui ipſius eſſentia, operationéque ſignificanda atque edocenda, ad rerum ſenſibilium analogiam confugere cogitur. Vnde et Ariſt. agentem intellectum lumini, quæ uerò intelliguntur obiecta coloribus comparauit. Qua ratione nos et totum ipſum intellectionis opus, uiſioni, quæ inter ſenſuum operationes nobiliſsima eſt, maximéq. ſpiritalis conferendum duximus. Vt enim ad uiſionem requiritur obiectum quod ſub uiſionem cadit, vt pote color, ſpeciéſque ſeu imago ex colore deprompta, ac præterea perſpicuum in quo ſpecies exprimatur, quin et uis uiſualis in oculo poſita, quæ per lucis coefficientiam uiſionem producat. Non omnino diſsimili ratione ad intellectionem concurrit obiectum, ac ſpecies immaterialis ex eo deprompta, quin et facultas ſuſcipiens ſpeciei impreſsionem, intellectus nimirum potentia, ac ipſe etiam intellectus agens, qui ad inſtar lucis ſe habet. Ac ut omittam obiecti ſpecieique neceſsitatem, in quibus ei cum omnibus ſenſibus conuenit, illud quoq. facilè patere poteſt intellectum potentia, rectè tum medio perſpicuo, tum etiam tabellæ raſæ comparari. Eſt enim perſpicuum illuſtratum ad uiſionem neceſſarium, veluti medium in quo ſpecies ab obiecto expreſſa, in eoq. ſpiritaliter ſuſcepta, ad oculum commodè deferatur; alioqui non poſſet coloris ſpecies in oculo ſuſcipi, niſi ſenſibile obiectum ſenſorium attingeret; quod à uiſionis natura abhorret. ſpecies autem viſiles in aëre perſpicuo illuſtrato prius ſuſcipi, ac ad oculos diſtribui experientia docet, ſiquidē ubi colores in lumine uiſuntur, et lumen et perſpicuū illuſtratū ab obiectis coloribus motū atq. affectum iiſq. ferè concolor redditur, ut interdū aureū, interdū purpureum, ac etiam cæruleum appareat. Quin et per ſolis radios, obiectos ac contra elatos parietes, iiſdem coloribus affici ac pingi cernimus; qui in colorato corpore è regione ſunt poſiti; quod non eſſet, niſi coloris ſpecies in medio recte diſpoſito exciperetur. Rurſus et hūc intellectum tabellæ raſæ Ariſt. ſcitiſsimè comparauit, ut eum initio rudem atq. inexcultum ſignificaret, quam ob cauſam Alexander Aphrodiſ. potentia intellectum inſcriptionis ferè priuationem aut carentiam appellauit, quam alibi præparationis, propenſioniſq. etiam uocabulo expreſſerat: ut non rectè propterea ab Auer. reprehendatur, quaſi intellectum nudam priuationem cenſuerit. Quod de uiro doctiſsimo nequaquam exiſtimari debet, quandoquidem et tabella rem ſubſiſtentē ſignificat, et propenſio ipſaq. carentia in aliquo ſubiecto neceſſario nitantur: quod Alex. ſupponens, ut Ariſt. exemplum explicaret, intellectum potentia inſcriptionis carentiam appellauit, non uacuam aut nūdam, ſed in ſubſtantia intellectuali hærentem, cum propenſione et po-

tentia ad propriam profectionem ſuſcipiendam. Verùm enimuerò ut cum iis ratione quadam intellectus conſentit, ita altera ex parte ab illis diſtat, Eſt enim tabella omni ex parte patibilis moréq. materiæ ſuſcipiens: perſpicuum uerò ut inſtrumentum coefficiens ad uiſionis opus quod ut lumen aliunde recipit, materiæ quoq. faciem induit. At uerò intellectus potētia ubi ſuſceptis iam ſine materia ſpeciebus eſt informatus, ſua propria ui intelligētiæ opus producit, ut meritò poſt ſuſceptionis actum effectiua facultas dici mereatur. Phantaſmata deinde id in intellectione præſtant, quod in uiſione colores, nam ut uiſus à coloribus, ita intellectus à phantaſmatibus mouetur atque excitatur: licet alio nomine differant, quòd colores per ſe ſunt obiecta uiſus motiua, phantaſmata uero licet neceſſaria, per accidens tamen intellectui inſeruiunt, ut ſcilicet fundamenta ſpecierum ſenſibilium, quæ ex iis intellectus agentis lumine abſtrahuntur. Agens uerò intellectus magnam cum luce aut lumine affinitatem rationíſque ſimilitudinem habet, ſiue ad phantaſmata, ſiue ad intellectum, ſiue etiam ad ipſum abſtractionis opus comparatio fiat. Nam ut lumen colores non efficit, nihilque in iis nouum producit, ſed ſola eius præſentia colores potentia uiſiles actu conſpicuos reddit, ſimiliter agens intellectus ſpecies ſimpliciter non procreat, ſed notionibus in phantaſia exiſtentibus, quæ potentia intellectiles erant lumen ſuum fundens, depulſis materiæ tenebris, eas illuſtres actúque intellectiles reddit. Rurſus ut perſpicuum nec à coloribus mouetur, nec recipit, niſi luminis beneficio: Ita intellectus poteſtatis nec à phantaſmatibus mouetur, nec ſpecies recipit, niſi agente intellectu colluſtratus. Deinde ut lux transfert colores è potentia in actum, neque enim colores in tenebris ſunt formaliter colores, ſed materialiter ac ferè potentia, donec per luminis præſentiam uiſum moueant: Ita intellectus agens phantaſmatibus tribuit actum motionis. Differunt tamen in multis, ac in eo præcipuè, quod in lumine nulla eſt efficientiæ uis niſi ſub ratione inſtrumenti, aut cauſæ ſine qua uiſio fieri nequit. At intellectus agens non eo ſolo nomine quòd lucem phantaſmatibus inferat, ſed et ratione irradiationis uis effectiua cenſetur. Similiter et habitui intellectuali, et arti Ariſt. agentem intellectū ſimilem eſſe poſuit, diuerſis ſanè rationibus. Quatenus enim in actu primo ipſe per ſe ueluti quieſcens ante illuſtrationis actum ſpectatur, in quo diuiniſsimum intelligentiæ lumen refulget, habitus faciem inducere uidetur cuius ſeparabilis actus, illuſtratio eſt. Qua parte uerò ad ea quæ extra eum poſita ſunt, declinat, et intellectiles formas ſuo lumine luſtrat, eaſque in intellectu poteſtatis promit atque inducit, artis proportionem et ſimilitudinem habet. Eſt enim ars principium effectiuum, formas extra ſe, non aliunde, quàm ex ſe ipſa depromens, quamquam aliis nominibus ab arte differat. Ars ſiquidem totam integramq.

tegrámque formam extra inducit in materiam nullis in ea formæ ueſtigiis præexiſtentibus. Agens uerò intellectus ſpecies intellectiles extrahit, ac à potentia ad actum educit, quo poteſtatis intellectum moueant. Quemadmodum et lumen colores non efficit, ſed his potentia uiſilibus exiſtentibus tribuit, ut perſpicuum moueant, actúq. uiſiles reddantur.

Veterum ſententiæ de agente intellectu reyciuntur. Cap. IIII.

ETSI ex Ariſtotelis ſententia agens intellectus, atq. is qui potentia dicitur, tamquã duæ animi partes, ſeu facultates non ratione modo; ſed et reipſa diſtinctæ numerentur, nondum tamen planè conſtat an ità res ſe habeat, an fortaſſe reipſa una eademq. ſubſtantia exiſtant. Qua de re interpretes uarias ac longè inter ſe diſſentientes ſententias protulerunt. Alexander enim Aphrod. ad ea ſpectans, quæ Ariſt. agenti intellectui tribuit, quòd ſcilicet eius ſubſtantia ſit actus: quòd omnia faciat, ac quod non ſolum per ſe maximè intellectilis ſit, ſed etiam cauſa per quam cætera omnia intelligantur, quodq. ſolus ſit immortalis, quæ omnia nulli competere uidentur, præterquàm ſummo rerũ omnium opifici et effectori Deo; agentem intellectum ab anima noſtra omnino ſeparatum poſuit; qui cum humano intellectu ueluti ſol, incorporeus irradiatione quadam copuletur. Quam de agentis intellectus ab anima noſtra ſeparatione ſententiam, nonnulli etiam à catholica fide minimè diſſentientem, eo argumento ſuadere tentarũt, quòd nullam ſeparatam mentem in nobis cooperantem catholica fides admittat præter Deum, qui ſolus eſt lux, uia, ueritas, et uita. Sed opinio hæc iure optimo, et à Philoſophis, et à Theologis quibuſdam improbatur. Ità enim de eo locutus eſt Ariſt. partic. xvii. tertii de anima, ac ſi eum animi noſtri partem ac facultatem eſſe exiſtimaret. Siquidem eo plane modo quo in quolibet rerum generabilium genere eſt unum quippiam ut materia, ac ueluti potentia, alterum ut efficiens, ac ueluti actus; ità eaſdem in anima noſtra differentias eſſe concludit. Præterea cogeremur fateri diuinum intellectum quandoq. eſſe potentia, reſpectu ſcilicet huius uel illius intellectus, cum quo debet copulari, eumq. ſolum eſſe immortalem, ut de agente Ariſt. pronunciauit. Patet quin etiam præter lumen intelligentiæ nobis diuinitus infuſum, quæ vniuerſalis eſt et remotiſsima cauſa, unũ etiam aliud effectiuum intellectionis principium requiri, quod proximum ſit et immediatum. Quòd uerò Ariſt. dixerit intellectus agentis munus eſſe omnia facere non de ſimpliciſsima eà rerum omnium productione, qua uniuerſa natura à Deo pendet, intelligendum eſt, quod ad inſtitutam diſputationem nullo modo pertinet, ſed ad ipſam intelligibilium ſpecierum et notio-

num omnium effectionem eſt referendum, cuius efficiens principium in anima neceſſarium eſſe proximè oſtenderat, idq. modo lumini, modo arti, atq. habitui comparabat. Cætera uerò attributa, quòd actu ſit, quodque maximè intellectilis, ac cauſa per quam cætera intelligantur, ita interpretanda ſunt, ut non abſolutè, ſed comparatione noſtræ intellectionis, ac ſpecierum, quæ ab eo procreantur intelligi debeant. Theophraſtus uerò, quem ex parte ſecuti ſunt Themiſtius, Simplicius et Auer. et ſi agentem intellectũ rationalis animæ partem poſuit, qui et materialis intellectus et ipſius planè hominis ſit forma, cum tamen uni cum in omnibus hominibus, æternum, ac abſque fine et principio eſſe uoluit. Hunc autem intellectum ac unà cum eo materialem, tertiumq. qui ex iis coaleſcit ſpeculatiuum, non ſubiecto, ſed ſola ratione diſtingui affirmabat. Neque enim agentem uerè recipere, ſed analogia quadam unum quidem agentem, alterum patibilem dici, ut ſe habent ad noſtrum intelligendi modum. Quorum ſententiam quandoq. ſecutus Auer. modo agentem, et materialem unam eandemq. ſubſtantiam, modo diſtinctas poſuiſſe uidetur, ac unam quidem puram potentiam in genere intellectilium, alteram actum ex quibus animæ eſſentia conſtitueretur. Sed incidit et ille in Theophraſti ſententiam de intellectus unitate, de qua etſi nihil expreſſum ab Ariſt. habeatur; cum iis tamen quæ de eius à materia ſeparatione, de paſsionis uacuitate, ac de ſubſtantia actu, diuina et immortali uariis locis Ariſt. prodidit, quæ numerum et magnitudinem ex eius principiis minimè admittunt, conſentiens maximè uidetur. Quamquam ex aduerſo huic ſententiæ ueritas reclamet, multáque ad eam incommoda ſequantur. Si enim eſt unus ac ſeparatus ueluti ſpiritalis ſol, cur non æquè bene uno eodemque modo omnibus illucet? ac cur huius uel illius ſpeciei abſtractionem nunc fieri, nunc non fieri cernimus, et non potius ſemper ac uno eodémque modo? Præterea ſi agens intellectus ſeparatus eſt, ac eo planè modo quo intelligentiæ ſuis quos mouent globis aſsiſtunt, ita ille ſeſe ſuo in nos lumine diffuſo, præſentem hominibus exhibeat, non erit homo, qui intelligit; intellectio enim ab actu denominatur, qui non extra nos, ſed in nobis eſſe debet; neque phantaſmatibus ille per ſe indigebit, cùm à corpore non pendeat. Quòd ſi ad inſtar formæ, materiali intellectui ſe adiungat, ac in eius ſubſtantiam inſinuet, in maximas etiam difficultates incidimus, de modo copulationis quo ſimplex actus, intellectualiſquè et perfectiſsima ſubſtantia ſeipſam ſponte in imperfectiorem naturam præcipitet, naſcentibúſq. hominibus ſeſe cõmiſceat et polluat, iiſque morientibus abeat, ſuóque munere in illis fungi deſinat. Poſtremò formale principium quo intelligimus, quale conſtat eſſe intellectum agentem unuſquiſque in ſe ipſo experitur et ſentit, idque in re eſſe oportet, non extrà, præcipuè pro illuſtrandis phantaſmatibus, quæ

in nobis ſunt poſita . Ea uero omniũ opinionum abſurdiſsima ſemper fuit, quæ agentem intellectum habitum eſſe uoluit primarum propoſitionum ſeu axiomatum ; quæ cognitionis principia appellantur, quod apertiſsime Ariſt. uerbis repugnat , qui eum intellectum omnino actu diuinamq. ac immortalem ſubſtantiam nuncupauit : Qui etiam habitum principiorum, quem intellectum appellare placuit ſenſu ac experimento ex indiuiduis notionibus acquiri uoluit II. Poſter. Analyt. tantum abeſt, ut uel ipſo intelligentiæ initio nobis adſit , quod tamen de agente intellectu maxime neceſſarium eſt, pro ipſa etiam principiorum notitia acquirenda .

Intellectum agentem vnam eamdemq́ ſubſtantiam noſtriq́ animi partem cum intellectu poteſtatis , duas verò potentias ſeu facultates ex rei natura diſtinctas exiſtere . Cap . V.

QVI intellectum agentem diſtinctam ſubiecto facultatem, ab eo qui potentia dicitur , ac ab anima noſtra prorſus ſeparatam poſuere , cuius ſententiæ fuit Alexander ; ex Ariſt. uerbis non rectè acceptis, in eum errorem ſunt lapſi . Neque enim fieri illis poſſe uidebatur, unam eandemque animæ noſtræ ſubſtantiam duabus contrariis facultatibus intimè præditam eſſe , quarum una purus ueluti actus ſimpliciter intellectionis effectiuus, altera uero ad inſtar materiæ et potentiæ omnino patibilis ac notionum ſuſceptiua exiſteret, quorum natura toto ferè genere ſeparata uidebatur . Verùm enimuerò non ita de materiali intellectu Ariſt. ſenſit, ut naturam omni ex parte patibilem poſuerit, quippè qui rationalis animæ partem et facultatem eſſe uoluit. Eſt autẽ et ipſa per ſe anima, et ſecundum ſingulas eius partes atq. potentias entelechia et forma, efficienſq. principium omnium operationum ab Animali prodeuntium . Quare nulla eius uis ſimpliciter patibilis eſſe poteſt, niſi diuerſæ ab animæ ſubſtantia ſit, ac ex ipſo materiæ genere, vnde res patiendi principium ſumunt . Quòd ſi ſenſus qui res in materia cognoſcit, dum receptas repræſentataſq. ſpecies iudicat, facultas effectiua dicitur ; cogitatiuaq. uis indiuiduas notiones cõponit et diuidit, ex iiſq. particularem concluſionem deducit, ut propterea paſsiui intellectus nomen meruerit, multò magis purior illa animæ uis omni materiæ impedimento carens, intellectus uidelicet materialis ab apprehenſis iam ſpeciebus excitatus, eas componet, diuidet, menteq. et diſcurſu agitabit . At dices intellectum poteſtatis non antea poſſe in actum euocari, niſi præacceptis animo ſpeciebus, quæ ut a ſingularibus indiuiduiſq. notionibus abſtrahantur, agentis intellectus lumen requirunt , ideoq. ſeparatas eſſe ſubiectoq. diſtinctas facultates, agentem qui phantaſmata

AVGVST. BVCCII DE SINGVLARIVM INTELLECTIONE, DISPVTATIO TERTIA.

Ad Franciſcum Piccolomineum Philoſophiæ in Patauino gymnaſio profeſſorem primarium.

EA, quæ de tua excellenti doctrina, acerrimoq́ iudicio iam latè diffuſa ac peruagata eſt fama, atq; hominum opinio me commouit, vt ad te, quamquam de facie mihi nondum cognitum, neq; aliqua præterita amicitiæ occaſione coniunctum, tertiam hanc de ſingularium intellectione diſputationem mitterem ea fiducia ac libertate, qua qui eundem profitentur artem, iiſdemq́ ſunt dediti ſtudiis, vti inter ſe ſolent. Scio quidem pleroſque ſummæ eruditionis viros, apud quos plurimum inueterata opinio poteſt, ita hac de re ſentire, vt dogma hoc noſtrum Paradoxi loco habituri ſint. Sed quia non tam auctoritatis quàm rationis in diſputando momenta quærenda ſunt; non deſunt autem rationes doctiſsimorum etiam virorum auctoritate roborata, quibus ſententia hæc ſuſtineri queat, ideò quæſtionem hanc tamquam præcedentium corollarium perfunctoriè excutere, meamq́ de ea ſententiam aperire tibiq; inſcribere volui; non eo vt multi faciunt animo; vt ſcilicet quæ mihi hæc ſcribenti occurrerunt, laudes atq; approbes, quod nē minimum quidem laudis mereri ſentio: ſed potius vt doceas, ac pro tua humanitate tuam mihi ea de re ſententiam exponas, meq́ tui nominis in poſterum obſeruantiſſimum intelligas. Uale.

DE SINGVLARIVM INTELLECTIONE,

DISPVTATIO TERTIA.

Efficaciores rationes quibus ſingularia minimè intelligi videntur, contrariaq; argumenta afferuntur. Communes naturæ fruſtra introductæ oſtenduntur. Determinatur prætereà ſingularia non modò reflexè, ſed et directè ab intellectu apprehendi. Cap. Primum.

EX duabus proxime explicatis quæſtionibus, tertia emergit, an ſingularia per ſe intelligentia comprehendantur, qua de re magna ſemper, uel ipſius Auer. teſtimonio apud interpretes controuerſia fuit, tum ob receptam inueteratamq. opinionem, quòd ea ſenſu tantum cognoſcantur, tum etiam ob contrarias rationes, ac in ea diſsidentes doctiſſimorum virorum ſententias: ſunt enim ex multis duo potiſsima argumenta quæ ſingularium intellectioni repugnare videntur, obiecti ſcilicet, potentiæq. natura. Siquidem ex obiectis potentiæ, ſeu facultates diſtinguuntur, hoc autem nomine ſenſum ab intellectu Ariſt. ſeiungit, quòd hic vniuerſalia, ille ſingularia, hic abſq; materia, ille cum materiæ circumſtantiis res per ſpecies cognoſcat. Qua etiam ratione intellectum agentem ad phantaſmata depuranda, ſpecieſq. uniuerſales eliciendas ſapientes induxerunt, qui res ex ordine ſingularium ſenſilium in vniuerſalium intellectiliumq. ordinem transferret, ut tandem in intellectu poteſtatis recipi atq; admitti ualeāt, perinde ac ſi ſingularitatis ratio in obiecto intellectioni obſtet. Præterea ipſa intellectualis ſuſcipientisq. poteſtatis natura, à ſingularium intellectione abhorrere videtur. Omne enim quod in aliquo recipitur, eo modo recipitur, quo ſe habet natura et captus recipientis, intelliguntur autem obiecta ac in intellectu recipiuntur, quare eo modo recipi neceſſe eſt, quo ſe habet natura intellectus: at hic uniuerſalis eſt ſpecieq. et numero unus, modo ergo vniuerſali res ipſas intelliget, alioqui cùm idem efficiatur cum rebus intellectis ſi ſingularia intelligeret, et ipſe ſingularis euaderet. Ex aduerſo plura ſunt, quibus ſingularia intelligentia concipi apprehendiq. videntur. Ac primùm intellectualis naturæ perſpicacitas, quæ totum ens ut obiectum habet, ac in vniuerſum eius ambitum et latitudinem longe lateq. funditur: ſunt autem primùm maximeq. entia in natura res ſingulæ, quòd in Catego. cap. de ſubſtantia Ariſt. teſtatus eſt, vniuerſalia enim uel nihil ſunt uel rebus ſingulis poſteriora, primo de Anima. Quare manca eſſet et imperfecta intellectualis cognitio, ſi omiſſa rerum ſingularum et ſubſiſtentium intelligentia, tenues tantum rerum ſimilitudines, uniuerſales ſcilicet notiones apprehenderet, quæ eſſe tantum habent in animo, non in natura. Communes enim natu-

ræ,

ræ, actuq. uniuerſales ſiue per indiuiduorum participationem, ſiue (ut aiunt) per indifferentiam, fruſtrà meo quidem iudicio, ac non ſatis ad Ariſt. mentem introductæ à nonnullis uidentur. Quandoquidem quicquid in re ſingulari ac ſubſiſtente exiſtit, ſingulare eſt; nec uniuerſale fieri poteſt niſi interuentu cogitationis et intellectus à materia abſtrahentis. Nam quod attinet ad exemplum de Socrate, qui per ſua propria principia formã et materiã uidetur eſſe Socrates, ac beneficio humanitatis, (ut illi aiunt) et animalitatis, quæ ſunt communia quædam rebus inexiſtentia homo eſt atq. animal, mihi numquam probari potuit: ſi quidẽ proxima propriaq. principia cõmuniora includunt, et continent, ita tamen ut communia ſint per cogitationem et poteſtatem effectiuam intellectus, non autem actu in rebus. Quare per eadem principia, propriam uidelicet formam et materiam Socrates ſimul eſt et Socrates, et homo, et animal, et cetera omnia quæ in eius eſſentia includuntur: Propria uero forma, et materia principia ſunt per ſe ſingularia et indiuidua quatenus ſcilicet non per aliud. Sed ut ad ſingularium notitiam redeamus, ſi ſingularia nullo modo ſub intelligentiam caderent, non modo imperfecta eſſet et mutila intellectus notitia, ſed etiam incerta; quippe quòd ſingularia uniuerſalium fundamenta exiſtunt, quæ ſi nullo modo mente concipiantur, quo modo ex iis poterit ſimilitudines colligere, uniuerſaleſq. notiones effingere? Neque enim ſat eſt, ſingularia ſenſu percipi, ac in phantaſia repræſentari, quæ intellectui connexa eſt. Nam cum eſſentia genereq. et obiectis diſtent phantaſia, quæ materialis facultas eſt ac ex ſenſuum ordine, et intellectus cuius eſſentia à materia eſt ſeparata, quomodo ſenſus intellectui notiones rerum ſuppeditat ſingulares ueluti fundamenta, ex quibus colliguntur uniuerſalia, niſi à ſingularibus totam ſuæ cognitionis firmitatem ſumat, ac ab iis pendeat, quæ ille nullo modo attingit? Teſtantur præterea id operationes uariæ quæ ab intellectu procedunt, quæ ſingularium utcumque apprehenſionem ſupponere neceſſariò uidentur. Nam præterquàm quòd inductione ex ſingularibus uniuerſale colligit, præter etiam ſyllogiſmum, quem expoſitorium uocant, cuius medium ſingulare eſt, accedit etiam diſtinctio et differentia, quam ponit inter uniuerſale et ſingulare, quod quidem cùm à ſenſu fieri neque at qui uniuerſale non attingit, reliquum eſt ut ab intellectu fiat. Quod niſi ità eſſet, rueret Ariſt. ratio. II. de Anima, quæ ſenſum communem eo argumento concludit, quòd facultas quæ ſimul diſtinguit ac ſeparat duo extrema cõmunia ſcilicet ſenſilia à ſenſilibus propriis, utrũq. neceſſariò cognoſcit. Nec uerò ſat eſt dicere, id per diuerſas animæ facultates fieri: ſiquidem idem dici poſſet de ſenſibilium diſtinctione, unde ſenſus communis neceſsitas euerteretur. Rurſus abſtractionis opus, ſingularium apprehenſionem quoquò pacto intellectui neceſſa-

riam oſtendit. Nam cum agens intellectus ſuo lumine illuſtret phantaſma, vt inde eruat ſpeciem intelligibilem potentia latitantem, neceſſe eſt eius lumen ad indiuidua phantaſmata peruenire, illiſq. præſens fieri: lumen autem illud intellectuale, quid aliud eſt niſi cognitionis actus quidam et perſpicacitas? quare uel ſingulare à quo ſpecies intelligibilis eruitur, et à quo materiæ conditiones eximuntur eo actu agens intellectus apprehendit, uel bruta res eſt, actionemq. naturaliter abſq. cognitione producit, quod repugnat naturæ intellectuali. Quòd ſi abſtractionem, non ad agentem, ſed ad poteſtatis intellectum pertinere dixerint, qui ppè qui ea fortaſſe ratione notiones abſtrahere uidetur, qua ſcilicet ea quæ ſecundum eſſe coniuncta ſunt, cogitatione uerò ſeparata, recipit atq. intelligit: idem recidit argumentum, uel ſingulare intelligi, uel à re ignota ſpeciem intellectilem elici. Quibus rationibus, ut reſpondeant ii qui contrariam ſententiam tuentur, ad duo confugere conantur, quorum vnum eſt connexio cogitatiuæ cum intellectu, quæ ſingularia apprehendit, componitq. ac diuidit, agentiq. intellectui ſingulares notiones ſuppeditat. Alterum eſt reflexa (ut aiunt) ſingularium cognitio quam ſufficere aiunt intellectui pro omnibus ſuis muneribus exequendis. Vtrumq. pulchrè inuentum, ſed anceps, multiſq. difficultatibus obſtructum. Vt enim miſſam faciamus eam cogitatiuæ diſtinctionem, quam in formarum materialium ordine vltimã, intellectuiq. proximè cohærentem Auer. poſuit, cuius Ariſt. numquã meminit, niſi fortaſſe ſub nomine phantaſiæ, quam intellectui immediatè iudiuiduas notiones ſubminiſtrare aſſeruit, cum dixit intellectum aut eſſe phantaſiam, aut non ſine phantaſia. Vt etiam omittamus copulationis modum, quo intellectus agens ineffabili modo phantaſiæ coniungitur, illud ab iis ſciſcitemur, quid obſtet, quominus non intelligantur ſingularia? Materiam dicent ſenſibilem, quam et nos difficiliorem et obſcuriorem intellectus cognitionem reddere, magnoq. ei impedimento eſſe ſupra docuimus, cum abſtractionis neceſsitatem tractaremus. Tùm uerò ab iis quæramus, an et prima rerum omnium materia, quamquam pura potentia, longiſsiméq. à ſenſibus diſtans, proptereaq. cognitu difficillima aliquo modo ſaltem ab intellectu cognoſcitur, cùm per negationem, tùm etiam per analogiam ad materiam artibus ſubiectam? Quòd ſi materia quæ accedit ad non ens, eſtq. una numero et ſingularis ac in compoſitis præcipua ſenſilis indiuiduæque naturæ cauſa, intelligentia tamen apprehenditur multò magis ſingularia compoſita, quæ actu exiſtunt, ſenſumq. mouent, ſub intellectus notitiam cadent. Deinde quomodo intellectus propoſitionem aſtruit ex ſingulari ſubiecto, uniuerſaliq. attributo, ut Socrates eſt homo: quomodo etiam uniuerſalium proprietates à ſingularibus negat, ſi ſingularia nullo modo attingit? an notio ſubiecti

erit

erit in ſenſu, prædicati uerò in intellectu, eritq. conceptus aggregatione unus? An fortaſſe ſimili dilemmate uti licebit, quo Academicorum dogma, omnia eſſe dubia atq. incerta à Peripateticis eludebatur Vel enim ea ipſa propoſitio, qua nihil firmum et conſtans eſſe aſſeritur, certa eſt, uel dubia: ſi certa, ergo ſeipſam euertit iamq. aliquid certi præter eorum ſententiam ſtatuitur; ſi dubia ergo uera eſſe poteſt oppoſita propoſitio, non omnia ſcilicet eſſe dubia, ſed aliqua certa et firma. Simili ratione uel intellectus quoquo pacto ſingulare intelligit, ſi uerè negare poteſt, ſe non cognoſcere ſingularia, uel ſi nullo modo ea intelligat, neq. etiam aſſeueranter teſtari poterit, ſe ſingularia non cognoſcere. Nam qui propoſitionis extrema connectit, aut ſeparat utrumque profectò cognoſcere et diſtinguere debet; quomodo enim uerè ab eius cognitione ſingularia excludet, niſi prius animo conceperit, quid ſingulare ſit? Præterea definitio, intellectionis eſt opus, quæ tametſi notionum eſt uniuerſalium, non tamen ut ſunt in animo more idearum, ſed potius ut in ſingulis rebus ſubſiſtunt: ex compoſitione enim uel diuiſione attributorum, quæ in rebus ſingulis atq. indiuiduis ſpectantur, definitiones inueſtigantur, quæ rerũ eſſentias aperiant, non inanes aut nudas, ſed ex ſingularibus naturis deſumptas, ut propterea ſingularia intelligi neceſſario uideantur. Iam uerò quod communiter dicitur ſingularia ab intellectu cognoſci, quatenus apprehenſis primum uniuerſalibus recurſu quodam, ac notitia, ut aiunt, reflexa ab uniuerſalibus, quæ ſunt ſimilitudines per intellectum formatæ, ad ipſamet ſingularia ex ſenſibus cognita tamquam fundamenta retrocedimus; et ſi uerum eſt, non tamen ità, ut ſingularia à prima ſimpliciqué intellectus apprehenſione omninò excludantur. Intellectus namqué per actum ſimplicis apprehenſionis primùm et directò fertur in obiectũ, quod uerè exiſtit, ac quod actu eſt in rebus; eiuſmodi autem ſunt ſingularia. Vniuerſalia namq. uel nihil ſunt, uel ſingularibus poſteriora, ab ipſoq. intellectu fabrefacta. Quod enim illi vniuerſale non pro notione ſumunt, ſed pro re, nullo modo in rebus exiſtit niſi potentia, quæ intellectus irradiationem conſequitur; alioqui quicquid eſt in natura unum eſt et ſingulare per ſuam formam et materiã: Quòd ſi uelis rem uniuerſaliter concipere, intellectu eſt opus qui ſeparet, indiuiduasqué notiones abiungat. Quapropter cum obiectum adæquatum actu mouere debeat, naturaq. prius exiſtere ſuo actu, et operatione, uniuerſalia uerò non ſunt in rebus niſi potentia, ac miniſterio agentis intellectus; ſequitur uniuerſalia non eſſe intellectus adæquata obiecta pro prima ſimpliciq. operatione, quæ eſt omnis intellectionis origo niſi ſingularia ſimul accipiantur. Tùm enim ſecluſa notionum compoſitione aut diuiſione, intellectus in huius atq. in illius hominis intelligentiam cum ſenſu coincidit; ideoqué non reflexa modo, ſed et recta cognitione

gnitione

gnitiòne ſingularia priuſquàm uniuerſalia intelligentia concipiuntur. Obiectum igitur ſenſus adæquatum ſingulare eſt, intellectus uerò totum ipſum ens, quod et ſingulare, et uniuerſale complectitur, quamquam non una eademq. ratione; ſingularia enim per ſe quidem intelliguntur, quia per ſe entia, et per ſe intellectum excitantia, non tamen primum nec proprie, ſed occurſoria cognitione, ac ueluti per tranſennam, vt ſenſuum interuentu ex iis manuducimur ad altiorem uniuerſalium cognitionem, quæ ex ſingularium concurſu deſumitur. Vniuerſalia uerò non per ſe modo, ſed primùm ac proprie intellectui propoſita ſunt ad cognoſcendum, quippe quòd ob maiorem eorum puritatem immateriali facultati proportione reſpondeant. Quare ut ſingularia intelligibilia dicuntur, quia intellectum mouent atq. excitant: Ità uniuerſalia obiecta ſunt, quæ intellectionẽ terminant atq. perficiũt: vnde illa mouentia, hæc uerò terminantia obiecta dici meritò poſſunt.

Contrariæ rationes diſſoluuntur, quibus ſingularia ſolo ſenſu cognoſci monſtrabatur. *Cap. II.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVIBVS ità conſtitutis, ſupereſt, ut contrariis rationibus occurramus. Erat autem una ex obiectorum ratione deprompta: Res enim ſiue notiones rerum, aut uniuerſales ſunt aut ſingulares: ut igitur ſenſuum obiecta ſingularitate præfinita ſunt, ità æquum eſt intellectũ in ſola rerum uniuerſitate contineri. Quod tamen facile ſoluitur, ſi dixerimus diuerſam eſſe rationem ſenſus atq. intellectus. Ille enim uis eſt materialis, cuius obiectum certis materiæ limitibus crcumſcribitur: At uerò intellectus ab omni materiæ uinculo ſolutus ad nullũ rerũ genus coarctari ſiue adſtringi debet, quippe qui aptus eſt omnia quæ ſunt ſua perſpicacitate cognoſcere, atq. intelligere, licet alia quidem clarius, alia uerò obſcurius. Quare quamquam uniuerſale cognoſcat tamquam proprium obiectum, proportioneq. reſpondens, non tamen propterea ſingularia deſpicit. Quòd ſi quis dixerit, ſuperfluum uideri intellectum agentem, qui materiæ conditiones à ſingularibus eximat ad intellectionem perficiendam, quando ſingularia per ſe intelligibilia poſuerimus; ideo non colligit, quoniam adhuc agentis intellectus lumine egemus, ut ad primi eius propriiq. obiecti uniuerſalis uidelicet notionis comprehenſionem tamquam ad ſuperiorem cognitionis gradum ſeſe attollere ualeat. Materialitas enim nó iccirco detrahitur, quod ſub intellectus operationem nullo modo cadat, cum ipſa alioqui prima materia quamquam pura potentia, ut tamen quoddam ſubſtantiæ genus a primo Philoſopho per ſe ac abſolute primaq. ſui notione apprehendatur: Sed potius quia puriorem intelligentiæ modum impe-

impedit atq. retardat. Ratio uerò altera Auer. ex potentiæ proportione deducta efficacitatem omnino non habet, neq. enim eo quòd intellectus idem fiat cum re intellecta, ideo ſequitur ſi ſingularia intelligat, euadere ſingularem, quod Auer. pro incommodo habet, qui unũ intellectum toti ſpeciei communicabilem poſuit. Duplex enim peccatum in ea animaduertitur, unum quidem in hypotheſi, alterum in conſecutione. Falſum ſiquidem eſſe conſtat, quod ille ſupponit, intellectum non numero, ſed ſpecie unum, ac cum omnibus hominibus communicabilem exiſtere. Quod ut ſuperiori diſputatione monſtratum eſt, præterquam quòd multas ſecum abſurditates trahit, in Platonicas quoq. Ideas incidere uidetur, ſiquidem ſpecie et numero unum, communicabilemq. et ſeparabilem faciat: quare idem erit extra ſingularia, et in ſingularibus, inſeparabileq. ſimul et coniunctum, quæ ut abſurda Ariſtoteles Platoni obiiciebat. Sed et fallacia in conſequenti cernitur, ſi intellectus ſingularia intelligat in ſingularem naturam omnino migrare, cum idem fiat cum re intellecta. Nam non dicitur intellectus omnia ſimpliciter et abſolute fieri, quaſi ab eius natura diſcedat: ità enim intellectus quem habeo de lapide, fieret lapis: ſed potius quia cum ſimplicisſima natura ſit, dum rei alicuius ſpeciem intelligibilem recipit, ſimilitudinem induit rei, cuius ſpeciem atq. imaginẽ ſuſcepit. Quare ſi eo etiã modo intellectum fieri ſingularem fateamur, quo rei ſingularis ſpeciem recipit, nullum incommodum ſequitur. Neque enim animus noſter fit omnia ſenſilia per ſenſum, et intellectilia per intellectum quemadmodum Empedocles animum omnia uerè exiſtere arbitrabatur, dum eum, quem ille ex quatuor elementis conflabat, naturæ inexiſtentis affinitate omnia extra poſita apprehendere cenſuit. Sed omnia eo modo fit, quo ſuſceptis imaginibus et ſpeciebus quæ ſunt rerum ſpiritales ſimilitudines, ſucceſsione quadam noui cuiuſdam Prothei more uarias facies induit, apprehenſis prius ſingularibus ac efformatis ex iis uniuerſalibus ſpeciebus. Quod et pulchrè à Philopono notatum eſt in exordio primi lib. de anima: ubi facultatum animi noſtri ordine expoſito, poſtquam quinque externos ſenſus numerauit, ac præterea phantaſiam, opinionem, et mentem ſeu agentem intellectum adiecit, intellectum potentia medio ferè loco inter ſenſum et mentem collocauit. Vnde cum ad ſenſus in intelligendo conuertitur, quod accidit in toto ferè huius uitæ curſu, in quo omnia ex ſenſibus deſumit, meritò ſingulare prius intelligit, quod maximè cum materiæ conditionibus mouet ſenſum, qui radix eſt intellectionis. Atque hæc nunc dicta ſufficiant de ſingularium intellectione.

AVGVST. BVCCII DE LVMINIS NATVRA, DISPVTATIO QVARTA.

Ad Ludouicum Odinetum Monteregalenſium Comitem, Sereniſs. Sabaudiæ Ducis intimum conſiliarium, Præſidémq. rationum.

TVA me ſingularis eximiaq. virtus, Vir clariſſime, non mediocriter commouit, vt quartam hanc de luminis natura diſputationem ad te potiſſimùm mitterem, atq. in tuo ornatiſſimo nomine in uulgus ederem. Tu enim et generis ſplendore, et multiplici erùditione, dignitateq́ qua apud Ducem noſtrum longè maxima et ampliſſima polles vndiq. Illuſtris dici potes ac debes, vt multis propterea nominibus hæc tibi de lumine diſputatio conueniat. Quòd etſi publicum ſuſceptum munus, ſtudiaq́ tua ab hac, quam profitemur, philoſophia aliena fortaſſe videri poſſint, ab ingenii tamen tui acie minime abhorrent, ſiquidem & politioribus literis, & eloquentia, variaque pulcherrimarum artium & ſcientiarum cognitione, quarũ elegantem quandam notitiam habes, tãquam manſuetioribus muſis, cum per otium licet, mirificè uti ac oblectari ſoles. Tuæ igitur humanitatis erit, ornatiſſime præſes, noſtram hanc de luminis natura diſputationem, difficilem eam quidem, ſed pulcherrimam ſcituque digniſſimam, quam non prolixa argumentorum ſerie, qua multi à lectione deterrentur, ſed ſummatim ac dilucide perſtringere curauimus, ea qua ſoles comitate excipere, & nos qui tui ſumus ſtudioſiſſimi, ac obſeruantiſſimi, tua auctoritate ac dignitate complecti atq. tueri. Vale.

DE LVMINIS NATVRA
DISPVTATIO QVARTA.

Variæ de luminis natura ſententiæ recenſentur: Item quibus argumentis veteres contenderint lumen eſſe corpus. *Caput primum*

AB inſtitutis de phantaſmate, déque intellectilibus ſpeciebus, ipſiuſque demum intellectus officio diſputationibus; non omnino alienas duximus quæſtiones de luminis natura, déque eius immobilitate, in quas iiſdem ferè temporibus incidimus, tum quia et hæc ad libros Ariſt. de anima pertinent, tum etiam ob ſympathiam et ſimilitudinem maximam, quam lumen habet cum natura intellectuali. Eſt enim lux qualitatum omnium diuiniſsima, maximéque ſpiritalís, ut propterea Ariſt. puriſsimam eam noſtri animi partem quæ agentis intellectus nomen obtinuit, lumini comparandam duxerit. Quod et ſacrarum literarum teſtimonio, Moſis Heliæque hiſtoria comprobatum eſt, quibus diuina eſſentia ſub perennis ignis, ſplendidiſsimíq. luminis figura repræſentari uoluit. Vnde et Ioannis primo. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem. Extitit autẽ de luminis motu inter ueteres ſapientes antiquiſsima, nobiliſsimaq. cõtrouerſia: quæ cum ab Ariſt. ſedata uideretur lib. II. de anima, eam tamen denuo Iul. Cæſar Scaliger ſummi ingenii uir in dubium reuocauit in lib. de ſubtilitate ad Cardanũ, quo loco nullis ſe umquã philoſophorũ argumentis perſuaderi potuiſſe affirmat, quo minus ſolis ceterorúmque ſiderum lumen ſucceſsione quadam moueretur, ac ad deferentis motum ipſum quoque circumageretur. Quæ res etſi difficillima, ut tamen pro noſtri ingenii tenuitate quo breuius, dilucidiúſque fieri poterit, ex ordine diſcutiatur; de ipſa prius luminis eſſentia ſiue natura agere inſtituimus, de qua uariæ opiniones extitere. Alii námque ſubſtantiam, alii accidens lumen eſſe dixerunt, alii corporeum et compoſitum, alii ſimplex et incorporeum. Porrò qui corpus lumen eſſe cenſuerunt, bipartiti ſunt. Alii enim Democritum ſecuti, qui ex minutiſsimis corpuſculis, res omnes naturales tamquam ex ſimpliciſsimis principiis ortum ducere exiſtimabat, ex uariiſqúe eorum figuris, ordine, ſitu, et motione uarias omnium affectionum cauſas, ac eas quidem non contemnendas afferebat, lumen eſſe dixere corpuſcula peruia, ac aſsiduè effluentia à lucido corpore. Alii ex Platonis ſententia lumen radium eſſe cenſuerunt ſpiritalem, ac tenuiſsimum: qui modo ſeipſum longe latéque fundens, modo etiam ſeipſum colligens, veluti impartibile quoddam corpus ex ſolis oculo extramittatur, ut eius miniſterio anima ſolis omnia uideat, quo pacto per radios ex animantiũ oculis ad

res uiſiles tranſmiſſos, uiſionem fieri arbitratus eſt Plato. Qui uerò lumen ſimplicem, ſpiritalémque ſubſtantiam eſſe opinati ſunt, ut ex Iamblicho colligi uidetur, alii participatione mediã inter corpoream et incorpoream poſuere, alii formam ex genere ſubſtantiæ, quæ ſit ſubſtantialis actus, ipſaque perfectio rerum omnium generabilium et corruptibiliũ. Porrò qui illud extra ſubſtantiæ genus poſitum exiſtimarũt alii lumen à colore non ſeparant, ſed inter colores illud tanquam nobiliſsimam ſpeciem, cæterorúmque ueluti formam et euidentiam numerant, cuius ſententiæ fuit Auempaces: Alii qualitatem ſpiritalem à coloribus diſtinctam affirmarunt, quæ ex eorum habitudine conſurgat. Cæterùm qui ueterem eam Democriti, Platoniſque ſententiam de corporea luminis natura tueri conati ſunt, præter antiquorum rationes ex apparente luminis motu deſumptas, utpote ex radiorum in terram demiſsione, ex eorumdemque per feneſtras ingreſſu atq. egreſſu, quæ ſanè è loco in locum motiones naturæ tantùm corporeæ competunt, alia quoq. argumenta induxere. Ac primum quidem ex neceſsitate medii cuiuſdam corporis poſt cœlum, quod pro rerum naturalium generatione ſua efficientia inferiora corpora proximè attingat, eáque ad uarias differentias commutet. Cum enim cœlum ob nimiam ab iiſce inferioribus diſtantiam naturali actione, quæ per contactum fit alterare hæc inferiora nequeat, fateri cogimur ſimpliciſsimum ſpiritaliſsimumquè, ac maximè peruium corpus ab eo aſsiduè effluere atq. produci, quod in uniuerſam effectiuorum ſphæram ſeſe inſinuans, ſuo contactu cuncta moueat, ac ad rerum ortum atque interitum diſponat: quodque diuerſam penitus eſſentiam obtineat à natura generabilium et corruptibilium corporum, quæ uirtute cœlitus infuſa variis ab eo motionibus agitentur. Tale autem corpus lumen eſſe aiunt, quippe quod et ex corporis natura conſtare, et a cœlo continuè effluere, ſubtiliſsimámque et maxime peruiam longéque ab his inferioribus diuerſam naturam obtinere uidetur. Præterea cœleſtis luminis efficientia corpora hæc generantur: quòd ſi lumen non ſit corpus, ſed incorporeum quippiam, corpus ex non corpore generabitur, quod tanquam abſurdum Ariſt. improbauit. Deinde nihil figuræ particeps eſt, niſi idem ipſum aut corpus ſit aut corporeum quidpiam: lumen autem in ſphærico corpore figuram recipit rotundam, quare corporeum eſſe uidetur. Cernimus quinetiam radiorum à corpore luminoſo effluentium inter ſe numero locóque et ſitu diſtinctionem, quod corporeã naturam teſtari uidetur. Rurſus uel lumen eſt corpori adhærens ut forma uel eſt corpus: ſi forma uel ut ſubſtantia, uel ut accidens. At non eſſe formam è genere ſubſtantiæ facile patet ex eo, quòd ſubſtantialis forma, non egreditur ſuam materiam, neque extra ſubiectum uagatur, lumen uero ſeſe diffundit in medium. Si accidens uel

per

per ſe et inſeparabile, quod de lumine dici nequit, cum à corpore in quo eſt ſeparari uidetur: ſi uero accidens ſeparabile et aduentitium, oportebit et id ad aliquod per ſe reuocare: cum igitur forma nullo modo dici poſsit, quæ corpori inſit, relinquitur eſſe corpus aut corporeæ naturæ particeps. Poſtremo lux diuaricata aërem diſgregat, reflexa calefacit eouſque, ut ignis ex ea accendatur: ſunt autem hæc corporum effecta, ut propterea lumen corporeum omnino eſſe uideatur.

Expoſitæ de luminis natura opiniones reijciuntur. Iamblichi de lumine ſententiam conſtanter ab Alberto refutatam aduerſus Sueſſanum oſtenditur.

CAP. II.

CEterùm ſententiæ dictæ longiſsimè à ueritate abeſſe uidentur. Ac primum quidem lumen formam non eſſe eſſentialem quæ tribuat eſſe corpori, uel ex eo facile cõſtare poteſt, tùm quia communiter omnibus cœleſtibus corporibus ineſt, licet ſecundum uarios gradus: undè eadem ferè eſſet omnium cælorum et ſiderum forma atq. eſſentia: tùm etiam quia tot, tamque diuerſæ ſyderum et cœlorum operationes in diſtincta, propriaq. principia, non item in lucem omnibus communem referri debent. Deinde eſſentialis forma indiuidua eſt, ſenſusq. omnes ſubterfugiens, lux uerò non modo intenditur, ac remittitur iuxta uarios eius gradus pro uaria corporum natura, ſed etiam ſeſe uiſui conſpicuam reddit. Prætereà forma non migrat è ſubiecto, nec ab eo diſcedit, lumen autem in vniuerſum perſpicuum diffunditur. Poſtremò ſi lux forma eſſet et natura cœleſtium corporum, eadem quoq. intimum principium eſſet motionum, aut ſaltem propenſionis, quam habent ad motus quibus cientur: at eiuſmodi principium prius quippiam et antiquius eſſe uidetur, quàm ſit lumen, ideoq. lux eſſentialis forma ullo modo dici poteſt. Iam uerò et eorum opinio, qui lucem corpus eſſe tradiderunt, iure ab Ariſt. refutata eſt II. de Anima iis ferè rationibus. Primùm ſi lumen eſſet è natura corporis, cùm illud à lucido corpore diffuſum ſeſe in perſpicuum inſinuet, ac unum cum eo fiat, corpora inter ſe, dimenſioneſq. uiciſsim ſubibũt ac penetrabunt, quod fieri non poſſe in Phyſ. monſtratum eſt. Rurſus lux eſt actus et perfectio corporis, non igitur corpus. Poſtremò lux momento fertur ab oriente in occidens, corporis uerò motus non fit, niſi in tempore: non igitur lumen eſt corpus. Sed ſententiã eam de corporea luminis natura tueri conati ſunt Proclus et Iamblichus. Siquidem Proclus lumen tenuiſsimum corpus eſſe cenſuit quod aëris particulas diſtrahens, per inſenſibiles meatus permeet, eoſq. impleat, ita ut nec ulla corporum penetratio conſequatur, nec actus etiam perſpicui ſit, ſed meatuũ potius completiuum, quod ob ſuam tenuitatem tempore quidem uelociſsi-

mo, qui ſenſu percipi nequeat, moueri intelligatur. Quam ſententiam Simplicius non iniuria improbauit, eo quòd aer ſtatim per ſe totum illuminatus cernatur, nulla apparente meatuum denſiorumq. particularum diſtinctione. Deinde medium ex luminis diſceſſu nec maius fit, nec minus, nullusq. ſenſibilis motus apparet, quod nō eſſet, ſi lumen uniuerſum perſpicuum diſgregās, denſioribus particulis renitentibus meatus impleret. Iamblichus uerò cùm hanc pariter de corporea luminis natura ſententiam fuiſſet amplexatus, alia tamen uia ad eam ingreſſus eſt, lumen dicens eſſe corpus ſimplex, ſpiritale, ad inſtar uiſualis ſpiritus cæleſtium corporum, ac ueluti medium, uinculumq. incorporeæ, corporeæq. naturæ: quod quatenus longè latéq. fuſum, mundum totúm ſuo ſinu complet corporeum dicitur, ac rurſus incorporeum, quatenus indiuiſibile eſt in partes præfinitæ extenſionis, quo etiam modo naturales formæ indiuiduæ ſunt, licet ex materia quanta, cui copulantur, extenſionem ſuſcipiant. Quibus ità ex eius ſententia conſtitutis inefficaces reddi Ariſt. rationes exiſtimauit. Nihil enim obſtare uidetur, quominus eiuſmodi corpus formale et ſpiritale diuerſæq. omnino rationis ſolidiori commiſceatur, abſq. eo quod ſeſe viciſſim permeent dimenſiones corporeæ, cum quantitate careat, quæ partibus præbet extenſionem, nihilq. craſsitudinis habeat, quæ eius efficientiæ et penetrationi obſiſtat. Sed in eius ſententiam inſurrexit Albertus doctrina et cognomine Magnus qui ex attributorū negatione, quæ corporis naturam conſequuntur, ut pote ex motu, ſitu, partibilitate, ortuq. et interitu, uel æternitate; quæ lumini nequaquam conueniunt, eam opinionem improbauit. Nam ſi lumen corpus eſt naturale, aliquo ſanè motu cieri neceſſe eſt, uel a medio ſeu à centro, uel ad medium, uel circa medium: quare uel graue erit uel leue ex natura elementorum, uel in gyrum cœleſtium orbium more rotabitur, qui ſanè motus haud quaquam lumini conueniunt. Præterea uel alicubi, uel nullibi ſitum, et ſicubi uel diuiſibile erit ut cætera corpora, uel punctū erit omnis diuiſionis expers. Deinde difficile eſt uidere, ac intelligentia concipere, quo pacto quantitatem ac extenſionem à medio ſuſcipiat, ac denuo in indiuiduationem redeat. Poſtremò uel eiuſmodi corpus generabile eſt, uel æternum: alterutrum dicatur varias inde abſurditates conſequi oſtendit, ut propterea nullus eiuſmodi opinioni locus neq. à ratione, neq. etiam à ſenſu relinqui uideatur. Porrò Sueſſanus uir non ſatis in Peripatetica doctrina conſtans, ut Iamblichum ab Alberti obiectionibus uindicaret, iis ſigillatim reſpondere conatus eſt: lumen inquiens non eſſe corpus gratia ſui, ſed ad aliud à natura inſtitutum: ideoq. nullo per ſe motu agitari; ſed quemadmodum uitalis ſpiritus ab anima noſtra mouetur, ità et lumen ad uarias poſitionis differentias ab anima cœli circumduci. Quod non ſatis conſideratè à uiro alioqui

qui doctiſsimo excogitatum uidetur. Non enim uideo quemadmodum lumen corpus et ſubſtantiam non ſui, ſed alterius gratia à natura inſtitutam dixerimus, niſi ea fortaſſe ratione, quia datum eſt tamquam inſtrumentum cœleſtis animæ, quod calorem iis inferioribus influat: quod itidem dici poſſet de tota ſubſtantia cœlorum et ſyderum, quæ non ſui, ſed alterius gratia procreata uidetur; ſiue ut inferiorem hunc mundum omneſq. eius uiciſsitudines efficiat, foueat, et conſeruet: quod tamen Alexandro in quæſt. natura. de prouidentia minime placuit; ſiue potius ut diuinæ mentes per eiuſmodi corporũ perennes motiones ſeſe primo mouenti ſimillimas reddãt. Prætereà quinque ſunt quæ in cœleſtibus corporibus ſpectantur, eſſentia, lumen, figura, magnitudo, et motus: nihil autem eſt, quod magis ſenſibus noſtris eorum diuinitatem teſtetur, quàm lumen: quod ſi illud corpus eſſe fateamur, idq. cœleſtis animæ gratia productũ, duo in cœlo corporum genera aſtruimus, unum ſubtilius, alterum craſsius; an igitur unum propter aliud, an utraq. ad aliud, an uerò ſubtilius quod et lucidius præſtantiuſq. eſſe uidetur, gratia craſsioris minuſq. præſtantis productum dicemus? Deinde ſi anima cœli eget aliquo corpore tanquàm inſtrumento motionis, ut inferiora hæc producat et foueat; lumenq. ipſum ex natura corporis eſt tenuiſsimi, quod admirabili illi cœleſtium conuerſionum celeritati idoneum maximè eſt, cur opus erit alia eſſentia denſiori et ſolidiori, ex qua cœleſtia corpora conſtent? an non ſuperfluam corporum multitudinem, corporiſq. genus unum opacum, quod ab alio ſubtiliori informetur, nulla certa ratione inducemus? Quòd uerò ait lumen ab anima cœli moueri ad uarias poſitus differentias, difficultate non uacat. Nam ut demus animam cœli principium eſſe effectiuum eiuſmodi motionum, aliud etiam principium patibile et ſuſceptiuum ineſſe oportet, quod lumini potentiam et propenſionem tribuat ad eos motus ſubeundos et rectos et circulares; quare id abſurdum neceſſariò conſequi uidetur, lumen ſcilicet ex duplici natura conſtare, una quidem cœleſti, cuius beneficio aptum ſit in orbem moueri, altera elementari reſpectu propenſionis quam habet ad motum rectum. Nunc uideamus quemadmodum ſecundam Alberti rationem diluat; lumen concedit eſſe indiuiduũ corpus nuſquàm ſitum, differre tamen à puncto, quod illud nec actu, nec potentia alicubi ſitum eſt, ipſum uerò licet non actu, poteſtate tamen ſitum et partium poſitionem admittat. Quæ reſponſio commentitia eſt: nam ſi lumen per ſe eſt corpus, ergo per ſe diuiſibile, et alicubi ſitum, non poteſtate modo, ſed actu; nam quod actu partes nullibi ſitas habet, quomodo partes et quantitatem acquiret? Sed nec illud rectè dictum eſt, quod ille ad tertiam Alberti rationem reſpondet, perinde eſſe de lumine atq. de anima. Nam ut anima actu indiuidua, potentia tamen partibilis actu diuiſionem

nem

nem,et extenſionem ſuſcipit,ex corporis cui aduenit diuiſione: ita et lumen per ſe indiuiſibile ex medio in quod funditur actu diuiſum atq. extenſum redditur. Quæ ſimilitudo inefficax omnino uidetur quandoquidem longè diuerſa ſit utriuſq. ratio. Poteſt enim anima, quæ forma eſt ſimplicisſima,ac per ſe indiuiſibilis ex accidēti diuiſionem admittere,potentiaq. accidentali diuiſibilis dici: ſecus autem eſt de corpore ſenſibili,et naturali,quod non modo reipſa ſubſiſtere,ſed ne quidem cogitatione concipi ſine quantitate et partibus poteſt; niſi fortaſſe Mathematicorum more inane aliquod corpus caſſa imaginatione confingamus. Præterea ſi lumen modo in latisſimam extenſionem fundi, modo in impartibilem unitatem cōtrahi cum Iamblicho poſuerimus, cum è potentia in actum extenſionis exit, an ex ſe, an ab alio eruitur? Vtrum uis ille reſponderit præterquàm quòd uaria incommoda conſequentur,motus etiam neceſſariò inducitur,fit autem motus in ſubſiſtenti,quod alicubi ſit ſitum. Neq. enim corpus naturaliter agit in incorporeum,aut in rem nullibi ſitam. Quin potius omne quod patitur et recipit,mouetur: quod uerò mouetur partim eſt in termino à quo,partim in termino ad quem,ſiue mutatio ſit in loco,ſiue in qualitate,quare quicquid uerè patitur aut mouetur, diuiduū eſſe oportet, antequàm moueatur. Nec eſt uera ſimilitudo,quòd quemamodum partes potentia in materia exiſtentes actu extenſionem acquirunt quātitatis aduentu,ità et lumen dum ſe perſpicuo inſinuat. Nam quomodo partes in partibus,aut partes iuxta partes habere poteſt materia in ſe conſiderata vt ſimplex ſubſtantia,quæ indiuidua eſt,niſi in ea quantitas intelligatur? Præterea longè diuerſa eſt utriuſq. ratio; ſiquidem prima materia et ſi per ſe in eius ratione omnem terminum, omnemq. formam excludat,indefinitis tamen dimenſionibus ab æterno prædita, nedum corpoream naturam retinet,uerum etiam actu numquam à forma ſeparata eſt,ſemperq. ſub aliqua certa quantitate et extenſione cōſiſtit,quare nec actu,nec poteſtate umquam eſt quantitatis aut diuiſionis expers. At illi lumen actu indiuiduum faciunt priuſquā ſeſe perſpicuo adiungat,quo tempore quantum et extenſum reddi affirmant, ac rurſus in indiuiſibile redire, cū ex perſpicuo in ſeipſum retrocedit, quod quo pacto iuxta naturæ curſum fieri poſsit,non uideo. Poſtremò quod ad quartam Alberti rationem reſpondet nullam quoq. probabilitatem habere uidetur; lumen nimirum eſſe corpus concretum ex materia et forma,diuerſæ tamen rationis à materia et forma inferiorum corporum,ac propterea æternum eſſe,quamquam oculis noſtris generabile et corruptibile uideatur. Vt enim difficultatem omittam de cœleſtis corporis ſimplicitate aut compoſitione ex materia et forma,quæro an lumen quod ille corpus ex materia et forma conflatum eſſe aſſerit,eiuſdem eſſentiæ ſit cum cœleſtibus corporibus,an uerò diuerſæ?

uerſæ? Si eiuſdem eſſentiæ,ergò perenni ſimpliciſsimoq. motu cœleſtium corporum more in orbem ſuapte natura rotabitur, neque alio motus genere ferri poterit,quod falſum eſſe conſtat. Quòd ſi diuerſam à cœlo eſſentiam habere fateamur,ac ab elementorum natura diſtinctam,quæ cœleſtibus corporibus coæterna ſit; iam ſupra quatuor elementa,quintamq. cœlorum eſſentiam,ſextam inducimus, quod ut ab omni ratione alienum eſt,ita in philoſophia inauditum.

Quæ ſit luminis natura determinatur: Item quemadmodum lux, lumen, radius et ſplendor inter ſe diſtinguantur. Rationes deinde ſoluuntur, quibus lumen corporeæ naturæ particeps efficiebatur. Cap. III.

IN tanta tamq. difficili controuerſia determinandum tandem eſt, quæ nam ſit lucis, luminiſúe natura atq. eſſentia. Lux itaq. cœleſtis,de ea enim inſtitutus eſt ſermo,non eſt corpus,quod ſupra monſtratum eſt, et anteà ab Alex.II.de Anima cap.xxxvi.neq.etiam aliud quippiam è genere ſubſtantiæ, tum quia per ſe non conſtat, ſed in alio nititur lucido ſcilicet corpore aut perſpicuo, tùm etiam quia ſenſui peruia, qui ſubſtantiam non attingit. Deinde omnia lucida eiuſdem eſſent ſpeciei.Non etiam qualitas eſt prædicamentalis materialiter extenſa in perſpicuo: quandoquidem lux à corpore lucido non exit,ſed potius indiſſolubilem cum ſua cauſa cómmiſtionem ſeruat. Præterea lumen perſpicuum afficit, non tamen uiciſsim ab eo aliquid patitur,nec accidentium more corporis tantum ſuperficiem informat, ſed ſeſe in totam perſpicui ſubſtantiam fundit. Quare minus quippiam eſt ſubſtantia,ac maius accidente. Rurſus paſsiones, et qualitates prædicamentales non ſtatim et ſimul ſecundum omnes gradus ineunt aut exeunt è ſubiectis,ſed ſucceſsione et alteratione quadam,quæ in tempore fit:lumen uerò momento in toto perſpicuo introducitur. Sed nec aliud quippiam eſt ex aliorum prædicamentorum genere,eſt enim coæternum cauſis generantibus,coeleſtibus uidelicet corporibus,ut nihil propterea cõmune habeat, quod ſit eiuſdem rationis cum inferioribus iiſce corporibus ortui et interitui obnoxiis: quæ longius ab æternis diſtant, quàm ea,quæ prædicamentali genere diſtinguuntur. Porrò etſi lumen ens reale et abſolutum exiſtit,quod quidem effectus reales et ſenſiles ab eo undiq. prodeuntes teſtantur, cuiuſmodi eſt calefactio,igniſq. ex reflexione accenſio; non tamen ità reale eſt,quin etiam quadã ex parte ad inſtar ſpeciei repræſentatiuum ſit,alioqui oculum immediate attingens cerni non poſſet, ſed ut alia obiecta quæ naturam penitus realem habent, uiſionem impediret. Hoc autem tantum abeſt ut uerum ſit,ut oppoſitum potius Ariſt. determinauerit,lumen ſcilicet in oculo neceſſarium pro ſpecierum ſuſceptione.

ptione. Quapropter rem partim abſolutam, partim etiam alterius repræſentatiuam lumen dicemus. Etenim ſi per vitrum aut ceruleum aut purpureum radius pertranſeat colorum ſpecies in pariete refert. Cùm itaq. lumen nec corpus ſit, nec qualitas, nec paſsio, nec aliud omnino accidens prædicamentale, eius tamen acceſſu totum mediũ quod poteſt attingere ex potentia ſpectabili actu conſpicuum reddat, quod eiuſdem etiam receſſu obſcurum ac poteſtate tantum viſibile apparet relinquitur lumen recte ab Ariſt. definitum, quòd actus ſit perſpicui quatenus perſpicuum. At cum duplex ſit actus unus quidem coniunctus ſubiectoq. inſeparabiliter inhærens, alter qui à corpore ſeparabilis et ueluti aſsiſtens ipſum perficere cenſetur, liquidò conſtat, lucem actũ eſſe diaphani ſeparabilem ac quodammodo aſsiſtentem: quandoquidem illuminanti corpori continua ſemper ſit, numquàmque ab eo diſcedat, ſed potius undiq. cum illo circumducatur. Ceterùm quia nominum ambiguitas obſcuritatem, diſtinctio perſpicuitatem afferre ſolet, lucis uerò, luminis, radii, ſplendoriſq. uocabula, quæ temere à nonnullis confunduntur, recepta a uiris doctiſsimis conſuetudine diſtinctionem acceperunt, eam ſubiicere uiſum eſt. Sunt enim hæc certo inter ſe ordine cohærentia, luminare, ſeu lucidum corpus lucem deferens; lux, forma ſeu actus in luminari conſiſtens; lumen, lucis ſpecies ſeu ſimilitudo à lucido expreſſa, et in perſpicuo ſuſcepta: radius perſpicui ſeu aëris pars per rectam lineam illuminata, ſiue viſualis linea in perſpicuo imperfectè illuſtrato demiſſa: ſplendor, luminis ex terſo corpore reflexio. Quibus ità conſtitutis facile contrariæ obiectiones tolluntur, quibus lucem ſeu lumen corporis naturam obtinere, colligebatur. Quamquam enim ſolis. lunæq. radii è cœlo demitti, ac per feneſtras ingredi, atq. egredi, iidemq. numero diſtincti, ac etiam figuræ capaces uideantur, quæ corporum affectiones ſunt, non tamen hæc radio competunt ſub ratione formali lucis participatæ, ſed quatenus in parte corporis perſpicui recipiuntur, ac unum quippiam cũ eo fiunt. Peccat igitur fallacia accidentis, cum id in formam transferat, quod compoſito competit ratione ſubiecti, motum ſcilicet in lumen, qui in aërem potius illuſtratũ referendus eſt. Nec argumentũ ex ſphærica luminis figura ullam uim habet, quamquam re uera rotunditatem excipiat: nam cùm ſequatur naturam generantis à quo ſecundũ omne eius punctum egreditur, accidit ut lumen eius à quo effluit figuram referre uideatur. Cùm uerò dicebatur, lumen aut eſſe corpus aut quippiam in corpore, atq. ideo uel ſubſtantiam uel accidens, quòd ſi accidens ſit, difficilimum eſſe certum illi ſubiectum conſtituere, cùm ex uno in aliud migret, ac ut uagum quippiam ingrediatur, atq. egrediatur. Reſponſio patet ex iis quæ dicta ſunt, lucem et lumen nec ſubſtantiam eſſe, nec omnino accidentia eiuſdem rationis cum iis quæ ſub certo ca

tego-

riarum genere comprehenduntur, ſed minus, quippiam ſubſtantia, maius uerò accidente, licet quatenus in lucido uel in perſpicuo ſunt, ut in ſubiectis, ſe habeant ad inſtar qualitatum. Eſt igitur lux qualitas diuina et ſpiritalis, quæ in lucido permanens ab eo pendet tamquàm à cauſa non productionis modo, ſed et conſeruationis. Lumen uerò quod lucis ſpecies et ſimilitudo eſt, dũ perſpicuo aduenit, quod potentia ſpectabile erat, actus rationem habet, quatenus uerò perſpicuo actu iam illuſtrato inhæret ad perſpicuum ſe habet tamquam accidens per ſe reſpectu ſubiecti cui ineſt. Vtrumque tamen rectius pro portione, quàm reipſa aut qualitas aut accidens nuncupatur. Atque hactenus de luminis natura, de qua in II. lib. de Anima qui hoc anno nobis explicandus proponitur, fuſius, Deo concedente, diſſeremus.

AVGVST. BVCCII
DE ILLVMINATIONE,
DISPVTATIO QVINTA.

Ad Federicum Pendaſium et N. Turcum Bononienſis Academiæ philoſophos primarios.

PRamiſsis quæſtionibus noſtris, quintam hanc de illuminatione diſceptationem, quam pro Peripateticis aduerſus Scaligerum ſubtiliſsimum virum ſuſcepimus, ſubiungere viſum nobis eſt, eamq; vobis, viri clariſsimi, dicare, quos inter illuſtres noſtræ huius ætatis Philoſophos ob celebrem veſtram, ac in frequentiſſimis totius Europæ Gymnaſiis teſtatam famam numerare merito poſſumus. Vos igitur, quos ego huius quæſtionis diſceptatores atque iudices eſſe ſummopere cupio, veſtram de hac re ſententiam feretis, mihiq; eam perſcribetis, ſi tamen rem tam leuem grauiſsimo veſtro iudicio dignam iudicabitis. Interim me plurimum veſtræ eruditioni, ac dignitati tribuere, vel ex hac minima mei erga vos animi declaratione intelligite, & valete.

AVGVST. BVCCII
DE ILLVMINATIONE, DISPVTATIO QVINTA.

Illuminationem motum eſſe eamque tempore celerrimo fieri ex veterum recentiorumq. ſententia nonnullis argumentis comprobatur. Caput Primum.

VT naturam ſequitur motus, ita à diſputatione de natura luminis ad quæſtionem de eius motu uel potius immobilitate progrediamur, illud quærentes an illuminatio ſit motus, et an lux ſolis in inſtanti feratur ab oriente in occidens, an uero admirabili quadam celeritate, temporeq. inſenſibili moueatur. Empedocles enim, aliiq. uetuſtiſsimi philoſophi, ut teſtatus eſt Ariſt. II. de Anima partic. lxx. et in libro de Senſu et ſenſili, quia lumen ex natura corporis exiſtimabant, diurnum lumen locali motu ex oriente in occidens, uelociſsimè moueri arbitrati ſunt. Quæ ſententia cum ex ratione lucidi corporis in quo eſt lux, et à quo aſsiduè lumen producitur, tùm etiam ex natura perſpicui, in quo lumen ſuſcipitur, in hunc modum confirmari poſſe uidetur. Omne ſenſibile quod eſt in aliquo, quod per ſe mouetur, neceſſe eſt ſequi motum eius in quo eſt: At lumē eſt ſenſibile, quod eſt in cœleſtibus corporibus, quæ per ſe mouentur, ergo lumen unà cū lucido corpore locali motu per ſe mouebitur. Rurſus omne quod recipitur in aliquo, recipitur ſecundum modum et naturam rei recipientis, lumen uerò recipitur in perſpicuo quanto et continuo, non ergo momento, ſed in tempore acquiritur. Atq. hoc experientia quoque teſtari uidetur, nam antequàm ſol noſtrum orizonta ſuperauerit paulatim lumen accedere, tenebraſq. ſenſim fugari cernimus, licet ſolis corpore iam apparente ob excellentiam fortaſſe luminis uiſum occupantis et obruentis, confeſtim illuſtrari uideatur. Quod benè norunt pictores, qui dùm naſcentem auroram pictura exprimunt, eam perſpicui partem qua ſol exoritur ſubobſcuram continuata ſucceſsione illuſtrari fingunt; ut noctem paulatim fugientem, diemq. ſenſim irrepentem diſcernere liceat. Quam opinionem Theologi nonnulli ad viſionem ipſamq. omninò ſenſionem traducere conati ſunt, quam tempore celerrimo ac imperceptibili fieri eo argumento cenſuerunt. Nam quemadmodum agere in tempore eſt uirtutis finitæ, in tempore uerò duplò breuiori, uirtutis eſt duplo maioris, ut ex viii. Phyſ. colligitur: Ità agere in non tempore aut mouere in inſtanti uirtutis eſt infinitæ, quòd cum de cœleſtibus corporibus dici nequeat, quæ in tempore mouentur, neq. etiam lumini competet. Eandem quoq. ſententiam

ſecutus

ſecutus uidetur Iulius Cæſ. Scaliger ſummi ingenii uir in lib. de ſubtili tate Exercitatione ccxcviii. cap. II. Cum enim nō niſi ſolis motione qui diurni luminis eſt auctor, lucis motus percipi queat, cuius quidem lumen orbis ſemiſſem ſemper illuſtrat, illuſtratio uerò ipſa ſenſim ſpatia occupat, non ſecus ac baculus circumactus loca quæ ante ſe ſunt ſenſim ſubit et capit; nullo pacto fieri poſſe uidetur, ut lux repentè moueatur, immenſasque aeris regiones momento peruadat, vndè et quæſtionem hanc irritam ille ait, quippè quæ ſenſu iudicatur. Quare quærendum potius dicebat, an ſine tempore à corpore illo lucido lumen in terras demittatur, ex quo fortaſſe momentanea lucis motio commodius demonſtrari poteſt. Qua de re ſe etiam plurimum ambigere fatetur; nullo exiſtente argumento à lucis immaterialitate deducto, quando quidem et ſoni ſpecies quamquàm immaterialis, non tamen ſine tempore ad auditum defertur. Atq. hæc ille conciſè admodum de tanta dubitatione.

Quibus rationibus concludatur illuminationem non eſſe motum, nec in tempore fieri. *Cap. II.*

EX iis quæ de luminis natura à nobis proximè tradita ſunt, perſpici facile poteſt, nec è loco in locum lumen moueri, quippe quod incorporeum eſt et ſpiritale, nec commutationem ſubire quæ alteratio dicitur; cum ex earum qualitatum genere non ſit, quæ continuata graduum ſucceſsione acquiruntur. Omne enim quod mouetur, præterquàm quod ſub vtroq. mutationis termino exiſtere, partiumq. continuatam ſucceſsionem habere neceſſe eſt, prius etiam ac citius eam ſpatii partem attingit, quæ illi propior eſt, quàm cæteras alias quæ longius ab eo diſtant. At verò lumen nullo partiū ordine aut ſucceſsione ſimul et confeſtim omnes perſpicui partes occupat proximas et remotas. Prætereà ſublata renitentia tollitur, ſucceſsio et ex cōſequenti motus, lumini autem nihil reſiſtit cum tenebræ ad inſtar priuationis ſe habeant, quæ eſt non ens. Rurſus paſsiones aut qualitates, quæ per alterationem in ſubiecto ſuſcipiuntur, prius quidem remiſsius, deinde intenſius continua quadam actione et perpeſsione comparantur, ſenſimque et paulatim à ſubiecto diſcedunt. Contrà uerò lumen lucido corpore apparente ſtatim et æquè primū in omnibus diaphani partibus conſpicuum fit, ex eiuſq. diſceſſu, momento omnes perſpicui partes obſcurantur, nullis omnino relictis luminis ueſtigiis: quod argumētò eſt non eſſe lumen qualitatem in diaphano materialiter impreſſam: neq. enim repentè ex ſumma luce in extremas tenebras, ſed per gradus mutatio fieret. Cùm igitur lucis impreſsio in perſpicuo non ſit motus, nec omnino alteratio, ipſum uerò lumen actus ſit et perfectio, perſpicuū eius

acceſſu perficiens, eiuſque receſſu tenebras ſtatim relinquens, dicendum uidetur illuſtrationem mutationem eſſe momentaneam ex ſola lucidi corporis in perſpicuo apparẽtis præſentia et habitudine ortam. Nam ſecundum habitudinem et relationem mutationes plurimas fieri conſtat, quæ quamquàm præuios quoſdam motus ſecundario conſequantur, quorum ſunt fines, ipſæ tamen per ſe abſq. tempore et ſucceſsione fiunt. Patet autem hoc in iis quæ ſunt ad aliud; ſiquidem immotis manentibus terminis intuentiſq. ſitu mutato, columna quæ prius erat dextra ſiniſtra efficitur et conuerſim. Similiter cum poſuerimus cœleſtes globos admirabili quadam celeritate in orbem rotari, nullum ſequitur incommodum, ſi ex luminarium præſentia per omnia quæ ad luminis exceptionem ſunt apta mutatione ſimul facta et ſubito; ac iterum abeunte eo quod illuminat, tùm illuminationem, tùm etiam luminis defectum, quam obſcurationem uulgus appellat, repentè fieri dixerimus. Simili enim modo illuſtratio fiet, atq. ſenſio ipſa viſionis, quam momento perfici Ariſt. docuit in lib. de Senſu et ſenſili. Eſt igitur illuminatio ſpiritalis repentinaq. mutatio ex ſola lucidi corporis præſentia facta in perſpicuo ad ſalutem uitamq. uniuerſi, ac ad nobiliſsimum uiſionis ſenſum à Deo et à natura inſtituta.

Rationes quibus lucis motus colligebatur unà cum Scaligeri argumentis ſoluuntur. Cap. III.

RESTAT ut ad eorum argumenta reſpondeamus, qui lucem in tempore, licet celerrimo, moueri contenderunt, Quorum unum ductum eſt ex natura corporis lucem deferentis, quod ſecum lucem rapere et circumducere neceſſario uidetur, alterum ex perſpicui, in quo ſuſcipitur lumen, diuiſibilitate et extenſione. Quibus facilè occurritur; fatemur enim lucem circumagi et moueri ad motum eius in quo eſt, non tamen ſuaptè natura, ſed per accidens, quemadmodum accidit animam moueri ad motum corporis. Quod autem de perſpicuo luminis ſuſceptiuo obiicitur, illud ſcilicet lumen ſuſcipere, iuxta eius naturam quantam et extenſam, propoſitum proculdubio colligeret, ſi lux forma eſſet aut qualitas materialis quæ à lucido effluens in perſpicuo ſuſciperetur. Sed iam ante deductum eſt lumen neq. ſubſtantiam eſſe, neq. qualitatem aut paſsionem corpoream, ſed actum et perfectionem partim realem, partim repræſentatiuã ad inſtar ſpeciei, ideoq. ſuſceptio lucis in perſpicuo non ex corporis in quo exprimitur, ſed ex propria eius natura metienda eſt, quæ ſpiritalis eſt et per ſe indiuidua. Vt enim ſpecies cœli, quæ tantam molem et magnitudinem refert, aperto oculo integram cœli uiſionem momento facit: ità lumen ſolis repentina celeritate orbis huius ſemiſſem, cui

ſui

ſui curſus ſucceſsione illucet, cõtinuata quadam ſpeciei productione, quæ in perſpicuo aſsiduè fit, illuſtrem et ſpectabilem reddit. Iam verò quod de diluculo, apparenteq. in ſolis ortu et occaſu luminis ſucceſſione afferebatur, nihil ad lucis per ſe rationem ſpectat, ſed potius ad terræ rotunditatem: quæ ſuapte natura exoriens lumen non ſecundum omnes ſui partes admittit, ſed continuatione quadam ac ſucceſsione partium, pro uario earum poſitu et obiectu ad ſolem; licet totũ id ſpatium quò peruenit ac nullo interiecto impedimento attingit, illico et æquè primùm illuſtret. Accidit enim interdum ratione ſpatii, ſeu ſub iecti cui lumen aduenit, ut quamquàm ſui natura in totam perſpicui molem confeſtim ingruere aptum ſit, aeris tamen caliginoſi denſitate impeditum, in tempore et ſucceſsione quadam ſuſcipi uideatur. Quod autem obiiciebatur, ſi illuſtratio momento fiat, conſequi mouentem uirtutis eſſe infinitæ, et ſi in motu uerè dicto, et in continuo locum habeat, et omnino in iis quæ per motum apta ſunt comparari, nullam tamen in ſpiritalibus mutationibus firmitatem habet, in quibus non ex mouentis uirtute, ſed ex natura termini, in quem mutatio incumbit, qui partium ſucceſsione uacat, nulla continuatio apparet. Porrò quod Scaliger quærendum magis eſſe dicebat, an ſcilicet ſine tempore à corpore lucido demittatur in terram lumen, qua de re ambigere uidetur: quandoquidem et ea quæ immaterialia ſunt, utpotè ſoni ſpecies in tempore ad aures perueniat, nullo quoq. negotio diluitur. Eadem enim eſt ratio demiſsionis radii à lucido corpore in infimam aeris regionem, atq. de lucis ab oriente in occidens repentina penetratione. Vtraque ſiquidem mutatio ſola habitudine et præſentia lucidi corporis fit, neq. à lucido effluit lux, quæ in perſpicuum deſcendat, ſed potius indiſſolubilis permanet ab eo in quo eſt. Ipſum uerò perſpicuum ex luminaris præſentia per ſpeciem lucis ſpiritaliter in eo multiplicatam ueluti actu quodam et forma momento adeunte uel abeunte, relationis ferè more commutatur atq. perficitur. Vnde et id de luce euenit reſpectu perſpicui, quod de Anima reſpectu corporis. Quemadmodum enim Animã humana corporis entelechia ita illud perficit, ut ueluti conſequens ad ſeipſam trahat, illudq. contineat, non item uicisſim ab eo contineatur. Non diſsimili ratione actus luminis diaphanum continet ac perficit, ita ut ſuam eſſentiam immiſtam, incorruptamq. retineat, cum numquã à lucido corpore utcumque circumducto effluat, aut diſcedat: Quod et cœleſtis lucis diuinitatem teſtatur, quæ quamquam inferioribus iiſce corruptibilibuſque corporibus ſeſe quoquo pacto immiſceat, non tamen polluitur, eorumúe contagione fœdatur, ſed puram atque integram eius naturam ſeruat. Nec uerò eadem eſt ut ille ſupponit, ratio immaterialitatis in luce, quæ eſt in ſpecie ſoni, ad aures in tempore delati; ut propterea

non

non momento ſed in tempore lumen quoq. fieri debeat . Senſus enim contrarium docet in fulgure belliciſq. machinis, quas Bombardas vocant , in quibus lux ſtatim emicat , ſoni uerò ſpecies poſt aliquod tempus auditum mouet. Hæc igitur de luminis natura deq. illuminatione obiter nunc dicta ſunto, quæ longius et accuratius alias commodiorem nacti occaſionem exquiremus .

AVGVST. BVCCII DE VNO ENTE PARMENIDIS ET MELISSI.

DISPVTATIO SEXTA.

Ad Veſpaſianum Gribaldum Viennenſem Archiepiſcopum et Comitem, patremque Franciæ uirum Illuſtriſsimum.

SVPREMAM hanc de vno Parmenidis et Meliſsi ente diſputationem, quæ etſi ad primam Philoſophiam pertineat, perfunctoriè tamen ab Ariſtotele initio primi libri naturalis auſcultationis dum veterum de principijs ſententias exponeret explicata eſt, ac poſt eum à Simplicio, Beſſarione, alijſq. non nullis ab Ariſt. reprehenſionibus excuſata, tibi tamquam altiorem controuerſiam mittimus atq. inſcribimus . Tu enim et à prima ætate philoſophiæ ſtudijs, præclariſsimiſq. artibus deditus fuiſti; et hoc tempore inter ceteros vnus es qui in tota Gallia bonas litteras atq. artes tua immenſa benignitate foues atq. ſuſtentas, vt merito omnes artium et diſciplinarum ſtudioſi te vnum ſuſpiciant ac prædicent omniq. monimentorum genere ornandum ſibi proponant. Habes præterea maxima tibi affinitate ac beneuolentia coniunctum Renatum Biragum virum clariſsimum ac ſapientiſsimum, et potētiſsimi Caroli IX. Galliæ Regis intimum conſiliarium, qui & prudentia, et conſilio, et rei militaris ſcientia, atque omnium maximarum rerum vſu et cognitione unus hodie eminet inter omnes.

Quem virum ego iam inde à prima uſq. ætate atque adoleſcentia mea ſemper ſummè colui, digniſsimumque exiſtimaui, qui ab omnibus coleretur, et veriſsimis iuſtiſſimiſq. laudibus in cœlum tolleretur. His igitur rationibus adductus tibi munuſculum hoc ex ingenij noſtri agro non ſatis culto primitiarum nomine excerptum offerimus et dicamus. Tu hilari qua ſoles fronte illud excipito; meq. tibi tuiſque omnibus addictiſsimum exiſtimato. Vale.

AVGVST· BVCCII
DE VNO ENTE PARMENIDIS ET MELISSI.

DISPVTATIO SEXTA PRO ARISTOT.

Aduerſus Simplicium et Beſſarionem, alioſque eius ſententiæ ſectatores.

CVM in primi libri naturalis auſcultationis prælectionibus, ad ſecundi capitis finem primis hiſce lectionibus perueniſſemus, in eius capitis examine incidimus in eam dubitationem, an Parmenidis et Meliſsi opiniones de uno ente, rectè, et fideliter ab Ariſt. expoſitæ, iureq. reprehenſæ fuerint. Cuius diſputationis occaſionem Simplicius præbuit: qui Ariſtotelem cum Parmenide et Meliſſo, reipſa conſentientem, nõ ſenſa, ſed uerba tantum, et loquendi modum; ne, ut uerba perperam ſonant, ità in naturali ſcientia eorum opiniones acciperentur; reprehendiſſe ait. Quam ſententiam cum ab aliis interprætibus multis poſt Simplicium probari uideremus; nos uero certis quibuſdam rationibus, Platoniſq. et Ariſtotelis locis huic ſententiæ pugnantibus, in eam adduci minime potuiſſemus, non ab re forè exiſtimauimus, ſi tota hac controuerſia diligenter expenſa, communem ferè errorem è philoſophorum ſcholis depelleremus: idq. unum potiſsimum doceremus, opiniones eas iure optimo ab Ariſt. confutatas, atq. reiectas fuiſſe. Credidit itaq. Simplicius, entis unitatem, a Parmenide, et Meliſſo inuectam, aliò ſpectaſſe, quàm ad rerum ſenſilium numerum et multitudinem euertendum. Atq. proinde non unum ens poſuiſſe. quod aut indiuiduatione, aut continuatione, aut ratione, numero unum eſſet, ut Ariſt. ex tribus modis quibus aliquid numero unum eſſe intelligitur, deducebat; Verum unum ens ſupra omnia rerum ſenſilium genera, quæ in mundo ſunt, poſuiſſe, ab omni pluralitate abiunctum, à quo omnia proficiſcerentur; quo quidem nomine, aliiſq. multis, quæ Parmenides de uno ente protulit ſimul acceptis, nihil aliud commode intelligi poſſe uidetur, præter primum illud, et unum ens rerum ſcilicet omnium auctorem, et effectorem Deum: qui ſolus uerè eſt ens: cuius unitatem nedum Plato, ſed et ipſe Ariſt. xii. Metaphyſicorum libro, diuinis præconiis et laudibus extulit. Ac ſanè cum huius opinionis intelligentiam uterq; animaduertiſſet; ideo Ariſt. a naturalibus philoſophis Parmenidem, et Meliſſum ſeparauit, quaſi theologicè, et ſupernaturaliter locutos. Plato uero Parmenidis ſapientiam excelſam, et profundam, multis laudibus eſt proſecutus, quod minime feciſſet, niſi rectè eius de entis unitate

tate

Digitized by Google

tate ſententiam non de ſenſilibus,ſed de intelligibilibus rebus eſſet interpretatus. Itaq. quamquam ſub iis uerbis penitiorem quendam,ac ſecretiorem ſenſum,quàm uerborum ſuperficies præſeferret,etPlato, etAriſtoteles intelligerent,nihilominus tamen ne quiſpiam nudæ uerborum intelligentiæ inſiſteret,diuinarumq. rerum principia ad naturalium cōſiderationem transferret; ac etiam,quoniam ambigua et ancipiti oratione quæ ad animi ſenſa clarè et perſpicuè exprimenda, nobis à natura data eſt,philoſophiam ſcripſerant,ideò,a Platone et Ariſtotele Parmenidem, et Meliſſum reprehenſos fuiſſe Simplicius exiſtimauit. Quam opinionem multis poſt ſæculis pugnaciter tueri, ac defendere conatus eſt Beſſario Nicænus, uir ſummæ eruditionis et auctoritatis,ex quibuſdam Parmenidis carminibus a Simplicio in medium adductis,et prolatis ex eo uolumine, quod ille de opinabili ratione inſcripſit: quo loco res ſenſibiles tractans,ignem,ac terram, rerum omnium principia ſtatuit. In eo uero, qui de ueritate inſcribitur,ubi de rebus intelligibilibus atq. diuinis ſermonem inſtituit,unū omnia eſſe affirmauit,quod vel eo quoq. nomine confirmari poſſe videtur,quòd ex Theophraſti,Nicolai Damaſceni,Alexandriq. Aphrodiſienſis ſententia Xenophanes,qui Parmenidis præceptor fuit, in ea quoq. ſententia fuiſſe dicitur. Hic enim oculis in cœlum defixis,quaſi ad diuinam eſſentiam alludens,unum,ſolumq. uniuerſum ens eſſe dicebat eo ferè argumento,quo neceſſe eſt,unum multis prius eſſe et antiquius. quamquam uerbis diſsidere uidebantur: quòd Xenophanes illud omnis motus et quietis expers,Parmenides uero, cum carmine ſcriberet,popularem loquendi modum ſecutus,quia illud, quod immobile eſt,uulgo quieſcere dicitur,manens uel quieſcens pronunciauerit. Sed et Meliſſum in eandem cum Xenophane,et Parmenide ſententiam ueniſſe affirmat. Meliſſus enim,cum cetera a Xenophane, et Parmenide,uni enti attributa,reciperet atq. probaret,tum uerò illud maximè adiecit,ens eſſe infinitum,et quia ingenitum,et quia eius ſubſtantia immenſa et infinita:quæ ſemper fuit,eſt,atq. erit. Qua in re à Parmenide non diſſenſiſſe Meliſſum Beſſario dicebat: quamquā Parmenides finitum, Meliſsus infinitum poneret. Nam etſi Parmenides unum illud infinitum fateretur in eum ſenſum, quo Meliſsus, perfectum,et abſolutū,nulliuſq. rei indigum, quo etiam nomine illud immobile affirmauit; illud tamen alia ratione finitum dixit, quatenus ea tantum moueantur,quæ aliquid appetunt: quo carent,atq. indigent. Vnde tres illos eorum temporum theologos in eandem de uno ente ſententiam,per manus quodammodo traditam,cōſenſiſse,illudq. nō materiale,aut ſenſibile,ſed immateriale,intelligibile, æternumq. Beſſario prodidit. qua de re ſtellionatus crimine Ariſtotelem accuſauit: qui, etſi germanam eorum ſententiam de uno principio intelligibili

recte accepiſſet, eamq. xii. Metaphyſicorum eleganter expreſsiſſet, tamen, ut ex ſummorum uirorum reprehenſione maius ſibi nomen et gloriam compararet, non intima ſenſa, ſed uerborum ſuperficiem, quam declarare potius, quàm redarguere oportebat, acerrime eſt inſectatus, eorum poſitionem inopinabilem, propoſitum admirabile, rationes captioſas, falſas, incõcluſas, tam materia quàm forma argumenti peccantes affirmans. Ita uir hic Ariſtotelem, quem Simplicius eius ſententiæ auctor excuſare conatus eſt, inuidiæ et ſimulationis accuſare non eſt ueritus. Vnde etiam factum eſt, ut recentiores noſtræ ætatis philoſophi inſignes, Lodouicus Buccaferreus, Marcus Antonius Genua, Franciſcus Vicomercatus, aliiq. uiri illuſtres, eandem ſententiam uno ore, et conſenſu comprobarent. A quibus et ſi ob celebre nomen, excellentemq. eruditionem, ac propter reuerentiam præceptoribus debitam, diſſentire nefas uidetur, nihilominus tamen ueritatis ui atq. ipſorum diſcipulorum teſtimonio de ea ſententia deiectus, non abſurdum neq. alienum à noſtris ſtudiis forè exiſtimaui, ſi Parmenidis, et Meliſsi opiniones non modo cum Ariſtotele, ſed ne quidem inter ſe conſentientes, atq. ab ea, quæ illis attribuitur, intelligentia penitus alienas oſtenderem. Ex quo manifeſtum, perſpicuumq. atq. ipſa luce clarius fiet, eos iure et non iniuria, atq. oſtendendæ conſtabiliendæq. ueritatis, non contrarietatis aut inuidiæ ſtudio, ab Ariſtotele redargutos et reprehenſos fuiſſe. Sed nihil magis coniecturale eſt, quàm quæ ab aliis ambiguè ſcripta, aut dicta ſunt, uelle interpretari, abſtruſaq. et recondita eorum, qui ſponte obſcuritati ſtuduerunt, ſenſa diuinando attingere. Ita in eo perquàm difficili munere obeundo, non tantùm, quid debuit, aut ueriſimiliter põtuit, quàm quid ex ipſa uerborum ſerie auctor ſignificare uoluerit, et quo nam ſenſu à ſapientibus illius ſæculi hominibus, poſteriſq. per manus ueluti accepta fuerint, ſpectandum eſt, ita intelligentes, atq. exponentes, ut et uerba ſententiæ et ſententia uerbis pulchrè inter ſeſe conſentiant. Vt igitur à primo eius, quæ de vno ente ſententia extitit, auctore Xenophane, exordiamur, cuius auditor Parmenides fuit, hic ut ex primo Metaphyſicorum, et ex eo Ariſt. libello, quem de Xenophane inſcripſit, colligi poteſt, nihil dilucidè dixit, ſed in totum cœlum reſpiciendo, Deum ipſum unum quodammodo ſomniauit: propterea autem nihil dilucide attuliſſe fertur, quoniam, etſi ſimili quadam ratione ad eam, quæ Meliſſo tribuitur, unum ens concluſerit; quia tamen nulla ad uaria principiorum, et cauſarum genera animaduerſione habita, nullaq. diſtinctione, aut delectu adhibito, quod tamen maxime oportebat, non unum effectorem formam, aut finem, ſed unum ens indiſtincte protulit, a cauſarum diſputatione non iniuria eſt excluſus. ſucceſsit Xenophani Parmenides: qui uerbis eandem, argumento autem et ſenſu

H variam,

variam de entis unitate ſententiam confirmauit. Fuit autem hæc Parmenidis ratio, vt Simplicius ex Eudemo narrat. Quidquid eſt præter ens, eſt non ens, at ens uno tantùm modo dicitur, ergo ens eſt unum. quod in formam rectius hoc pacto concluditur. Quidquid eſt præter ens, eſt non ens: quidquid eſt præter unum, eſt præter ens, quia ens uno modo dicitur, ergo quidquid eſt præter vnum, eſt non ens. ex quibus conſequi putabat, ens eſſe vnum. Huic itaq. Parmenidis rationi cum Zeno penitus aſſenſiſſet, Plato uerò quadam ex parte manus dediſſet, Ariſtoteles uim rationis diligentius perpendens, non modo eam falſa ſumere, ſed etiam non rectè ſecundum argumenti formam colligere demonſtrauit. Quod uel ex eo perſpicuum eſt, falſa enim ſumptione ens, quod multipliciter dicitur, in ea, tamquam uno modo ſignificans, ſumitur. Quòd ſi etiam Parmenidis ſumptiones concedantur, nihilominus tamen rationis formam inefficacem forè Ariſtoteles oſtendit: quòd ex concluſione, tamquam ſequens deductum, inferat affirmationem præpoſtere, ens ſcilicet eſſe unum. cum alioqui nō quæ deducitur affirmatio, ſed ex conuerſis terminis unum ſcilicet eſſe ens, directò concludatur. Vt enim negatio unius, eſt cauſa negationis entis, ita ex contrapoſitione et conuerſione huius concluſionis a Parmenide deductæ, non unum eſt nō ens, affirmatio unius infert affirmationem entis, atq. proinde non quòd ens ſit unum. ſed quòd unum ſit ens, Parmenidis ratio efficiebat. Quòd ſi ſecundum formam eiuſmodi ratio concluderet, uariatis terminis et materia, veritatem perpetuò colligeret. cuius tamen contrariū Ariſt. demonſtrauit, ſumpto, exempli cauſa, albo tamquam ente, et non albo tamquam non ente. Ex hac itaq. Parmenidis ratione conſtat eum merito ab Ariſt. redargutum, nam quomodocunq. ſuam de uno ente ſententiam ipſe in intimis animæ ſenſibus conceperit, ſiue uerba, ſiue rationem, qua ille utitur, conſiderauerimus, ex quibus ſapientū opiniones iudicantur, perſpicuum eſt, ex ea entis unitatem abſolute concludi, quantamcumq., ſimulq. omnem multitudinem, et mutationem è medio tolli. In quem etiam ſenſum Plutarchus, uir doctiſsimus, Parmenidis et Meliſsi rationem atq. ſententiam eſt interpretatus in primo libro de placitis philoſophorum cap. xxiiii. Parmenides (inquit) Meliſſus, Zeno, generationem corruptionemq. propterea ſuſtulerunt, quòd uniuerſum unum immobile eſſe arbitrarentur. An uerò ita ex animo ratiocinatus ſit, quod vir vel ipſius Platonis teſtimonio ſapientiſsimus, omnia quæ ſunt, et ipſa quoq. contraria, ignem et aquam, unum eſſe cenſeret, an quia primū principium, Deum uidelicet glorioſum, cum Xenophane eius præceptore intelligeret, non facile eſt iudicare. Primum enim, quod eius ratio concludere conatur, ut abſurdum, et ab omni ueritate alienum uidetur: Ita alterum non ſatis conſentiens eſt iis, quæ Parmenidis ſucceſſores

ceſſores per manus poſteritati de eius ſententia ſcripta reliquerunt.
Narrabat enim Antipho in Platonis dialogo, qui Parmenides inſcri-
bitur, ſe a Pythodoro, Zenonis ſocio. qui præceptori Parmenidi in de
litiis fuerat, accepiſſe, Parmenidem et Zenonem Athenas ad Panathe
naicorum celebritatem olim conueniſſe, ibiq. cum forte fortuna Par-
menides domo abeſſet, Zenone libellum ſuum, quem pro Parmenide
aduerſus eos, qui in eũ ſcripſerant Socrati, aliiſq. aſtantibus perlegen-
te, Parmenidem aduentaſſe. Socratem itaq. inter diſſerendũ Parmenidi
feſtiuè obieciſſe, Zenonem eius diſcipulum, uerbis tantum diſcrepan-
tem, reipſa tamen eandem cũ ſua de entis vnitate ſententiam inducere.
Tu enim, inquit, o Parmenides, in poëmatibus unum uis eſſe hoc to-
tum, quod eſt, atq. huius argumenta quamplurima exhibes. Hic vero
multa eſſe negat, coniecturas ipſe permultas, ac ualidas præbens: quod
„ idem ferme eſt dicere. Quin et paulopoſt in Zenonis reſponſo ſcri-
„ ptum iis ferè uerbis legitur. Sunt hæc reuera, o Socrates, conſcripta
„ in ſuffragium Parmenidis aduerſus eos, qui illum carpere nituntur, di
„ centes. Siquidem ſi unum ſit omne ridicula plurima huic opinioni, ac
„ etiam ſibi penitus repugnantia euentura. oppugnat igitur eos ſcri-
„ ptum hoc, qui multa eſſe uolunt. Ac plura viciſsim obiicit, ut pate-
„ at multo abſurdiora ex illorũ opinione ſequi, quòd ſcilicet multa ſint,
„ quàm ex opinione Parmenidis, quòd ſit unum, ſi quis diligenter exa-
minarit. Ex quibus Platonis locis liquidò patet uel eiuſdem Parmeni
dis et Zenonis teſtimonio, entis unitatem, ab illis inductam ad Deum
minimè pertinere. nam præterquàm quòd uerba illa prima de Parme
nidis ſententia, unũ eſſe hoc totũ, quod eſt, non ſatis conuenienter ad
inuiſibilia, et intelligibilia traduci poſſunt, ad hoc etiam accedit ratio,
meo quidem iudicio, inſolubilis: quæ ex eodem Platonis loco proxi-
me citato colligitur. Cum enim Zeno, Parmenidis diſcipulus, aper-
tè fateatur ſe aduerſus eos qui in Parmenidem ſcripſerunt, multis de
ductis abſurdis, ita egiſſe, ut multo abſurdiora ex entium multitudine
quàm ex unitate conſequerentur; facilè patere poteſt, non primi prin
cipii intelligibilis unitatem controuerſi, et in dubium reuocari. Nam
quæ abſurda ex primi principii unitate, quæ et uerißima eſt et undiq.
ſibi conſentiens, conſequi poſſunt, ut pro eius ſententiæ defenſione o-
portuerit abſurda abſurdis propulſare? Poterat enim uel ipſemet Par
menides, uel Zeno, ad quos Socrates loquebatur, minimo negotio ſeſe
ex tot difficultatibus expedire atq. explicare, unicoq. uerbo omnem
controuerſiam dirimere, unius ſcilicet entis nomine Deum glorioſum
intelligi: cuius unitatem tantum abeſt, ut abſurdum aliquod conſe-
quatur, ut potius Deorum multitudine inuecta, totius uniuerſi ordo
collabatur. Itaq. cum hoc nuſquam aut ab Ariſt. aut a Platone, qui
non longe ab iis temporibus floruerunt, diſtinctũ ſit, neq. à Parmenidis

H 2 diſci-

diſcipulis,qui eum audierunt,inter reſpondendum expreſſum, illud potius dicendum uidetur,Parmenidem propterea ens unum induxiſſe,nõ ut rerũ multitudinem ſenſibus conſpicuam tolleret; nec ut Dei vnitatem tantummodo concluderet,ſed partim in Deum, partim in ideam mentis aciem intendiſſe ipſas uerò idearum ſpecies in unum primum principium Deum, qui unus uerèq. ens dicitur, reuocaſſe. Quod et ex Platone et ex Ariſt.expreſſe elicitur.Plato enim de uno rerum omnium principio diſſerens,unum in triplici ordine reperiri demonſtrabat,in rebus quidem ſenſibilibus ex ideæ participatione:in iis uero,quæ ſemper conſtant et intelligibilia ſunt,ex ipſa idearum eſſentia;ac tandem ſupra ſenſibilia,et intelligibilia omnia elatus, unum primum ceterorum omnium principium fatebatur:ex quò,per quod,et ad quod omnia,quæ ſunt, unum atq. ens eſſe intelliguntur. Huius uerò ſententiæ, quaſi iudicem Parmenidem introducit: a quò etiam dialogum inſcripſit. Quod et Ariſt. de Parmenide expreſsit primo Metaphyſicorum, ubi eum plus quàm ceteros uidiſſe teſtatur, atque ita loquitur.Sunt qui de uniuerſo perinde atq. unius eſſet naturæ,dixerunt,nõ tamen eodem modo omnes,aut ratione recti,aut eius quod eſt ſecundũ naturam. Atq. ſermo de hiſce nullo modo ad præſentem conſiderationem accommodatur,non enim, ut naturalium quidam, uno ſuppoſito eo quod eſt,ex ipſo tamquam ex materia,generant:ſed alio modo dicunt,illi namq. uniuerſum generantes motum addunt: hi uerò immobile inquiũt eſſe,attamen aliquatenus præſenti perſcrutationi proprius eſt. Parmenides enim unum ſecundum rationem uidetur attigiſſe,Meliſſus uerò unum ſecundum materiam. Quod ex Parmenidis carminibus uidetur colligi poſſe,quæ a Simplicio recenſentur,quibus unum illud ens finitum affirmat ea ratione, quia abſolutum eſt,et perfectum,ac ſuis quibuſdam terminis contentum.Quæ ratio allegorice ad Deum,propriè uerò ad formam,ſiue ideam referri poteſt: quæ materiam ſuapte natura indeterminatam præfinit ac continet. Ita patet,entis unitatem a Parmenide introductã, ſi ex uerbis,et ex ratione fallaci,atq. indiſtincta diiudicetur, recte et merito ab Ariſt.redargutam: quandoquidem diſtincte,et proprie philoſophum loqui decet,propriaq. et recta ratione quod uult, efficere. Quamquam altera ex parte æquitate quadam potius, quàm iure poſsit Parmenidis ſententia in meliorem ſenſum reuocari, ut unum tantum eſſe ens poſuerit, Deum ſcilicet glorioſum, reſpectu intelligibilis ſenſibiliſq. naturæ,quarum eſſe à primo ente influens illius comparatione eſt ueluti non ens: uel unum etiam tantum eſſe ens in rebus hiſce ſenſibilibus,quod eſt eſſe ideale per eſſentiam;cum alioqui,quæ multa ſunt, non entia uideantur, niſi quatenus una illis tribuitur natura, in qua conueniant. Quam Parmenidis ſententiam etſi Plato ratione idea-

rum,

rum,quibus generationis efficientiam tribuebat, magnopere proba-
ret,Parmenidis tamen opinione ex parte recepta,rationem,qua id con
cludere conabatur, quaſi ex altero principio ideas deducere oporte-
ret in Sophiſta improbauit:quam et Ariſtotel. iure reiecit, quòd ca-
ptioſa ea ratione coactus Parmenides non ſatis diſtinguere aut expli-
care potuerit,quo pacto abſq. contradictione unũ,et multa enti com-
petant:quod ex actus et potentiæ diſtinctione ſub diuerſis nominibus
Ariſtoteles explicauit.Nunc ad Meliſſum Samium accedamus,qui ut
Apollodorus refert Parmenidis auditor fuit. Hic igitur cum eandem de entis unitate ſententiam ſequeretur, eo tantum à Parmenide
diſcrepare uiſus eſt,quòd ille finitum,hic infinitum:ille una, hic alia
ratione unum ens efficere tentauerit. Vtebatur autem Meliſſus lon-
ga quadam et continuata ratione hoc ferè modo. Quod eſt geni-
tum habet principium, ergo quod non eſt genitum non habet prin-
cipium, at ens non eſt genitum, ergo ens non habet principium. 58
Aſſumptum probabat. Si genitum uel ex ente, uel ex non ente:
non ex ente, quia ens eſſet antequam fieret, non etiam ex non ente,
quia ex non ente,quod nihil eſt,non poteſt aliquid fieri:ergo ens eſt in
genitum, et principio carens. Rurſus quod non habet principium,
fine etiam neceſſario caret, ens non habet principium, ergo nec fi-
nem: quod autem principio et fine caret, eſt infinitum, ens prin-
cipio et fine caret, ergo infinitum. Deinde quod eſt infinitum, ne-
ceſſario eſt unum, ens eſt infinitum, ergo eſt unum. Rurſus quod
eſt infinitum,omnia occupat,quod autem eiuſmodi eſt,ubi,in quo, et
ad quem locum,aut à quo agente mouebitur? certe a nullo: quapro-
pter ens eſt ingenitum,æternum,infinitum,unum, immobile. Quam
Meliſsi rationem diluens Ariſtoteles,nedum captioſam materiaque et
forma peccantem,uti erat,et illa Parmenidis; ſed etiam magis impor-
tunam appellauit,quod uel falſitas primæ ſumptionis ſtatim indicat,
omne ſcilicet genitum habere principium. Cum enim principium
multis modis dicatur,principio quomodocũq. intellecto, docet Ariſt.
rationem eã eſſe inefficacem,præcipue uero ſumpta ea principii acce-
ptione,ex cuius carentia æternitas,atq.ex æternitate infinitudo à Meliſ
ſo concluditur:quod eſt principium temporis.Sunt enim aliqua quæ
quamquã temporis principio careãt,nec tamen infinita ſunt, nec æter
na:ueluti mutationes quædã,quæ momento impartibili, non autem in
tempore fiunt,ut illuſtratio,uiſio,lactis quinetiam concretio .et aquæ
quadã ex parte congelatio,in quibus prioris aut poſterioris dum fiunt
ordinem nullum ſpectamus,ſed confertim,et ſimul fiunt. Ineſt et ma-
teriæ peccatum in ultima conſecutione:qua ex infinitate, omnia occu
pante,immobilitatem deducere conatur.falſo nixus fundamento:pro
pterea quòd ſupponat,motum neceſſario aut in uacuo, aut in pleno

fieri,

fieri. Contrarium tamen nos experientia docet de aqua, in pleno vaſe poſita, quam moueri interdum cernimus fluxu, et refluxu quodam, ſecundum ſuperiorem eius ſuperficiem: qui ſanè motus nec in vacuo fit, nec in pleno. Cælum quoq. totum quieſcit, partes continuata quadam ſucceſsione, ſecundum uarias poſitionis differentias, nec in pleno, nec in uacuo mouentur. Sed et alia ex parte, materiæ ratione, ineſficax redditur Meliſsi ratio, ex infiniti ſcilicet amphibologia: cum ab infinito in tempore, quod in antecedente ſumitur, ad infinitum in magnitudine in illatione procedat. Formam uerò ratiocinationis mancam eſſe, et inartificioſam facile quiuis, uel dialecticæ ſtudiis initiatus deprenderit, cum ex antecedentis oppoſito conſequentis oppoſitum præpoſtere colligat hoc pacto, quod eſt genitũ, habet principium, ergo quod non eſt genitum, non habet principium, cum rectè dicendum foret: ergo quod non habet principium, genitum non eſt, quod perinde eſt, ac ſi quis ita ratiocinetur. Si homo eſt animal, ergo quod non eſt homo non eſt animal, cum tamen recta conſecutionis forma dictet, ut conuerſa potius ſequatur, ergo quod non eſt animal, non eſt homo. Atq. proinde merito Ariſt. Meliſsi rationem Parmenidis argumento importuniorem, uel potius ineptiorem dixit, tum quia eius peccatum ſtatim animaduertitur, ut propterea nullam facere difficultatem poſſit, tum etiam, quia illud argumenti genus, quod in quemdam ueluti rationum cumulum excreſcens, Greci Soriten, Latini coaceruale appellant, fallacisſimum ſoleat eſſe. Ex quo patet, Ariſtotelem contentioſam, atq. importunam, et Parmenidis argumento ineptiorem, Meliſsi rationem non iniuria appellaſſe. Nunc Meliſsi conſilium, et inſtitutum expendamus, an entis unitatem in Deum retulerit, an in res ſenſiles, an potius in materiam. De primo nihil minus, cur enim ex omnis loci occupatione, ex eius infinitate deducta, immobile eſſe demonſtrabat, ſi de uno ente intelligibili extra omnem locum, et magnitudinem poſito, ſermo erat inſtitutus? An deerant alia media, quibus primi principii unitas concluderetur? Præterea cur non hunc animi ſenſum uel ille, uel alii diſtinxerunt, aut explicarunt iis, qui in eius, et Parmenidis ſententiam ſuis temporibus ſcripſerunt? An cum oratio, mentis interpres, nobis data ſit, ut noſtra animi ſenſa perſpicuè, et dilucide exponamus, ſepiarum more, effuſo attramento, hominum mentibus tenebras offundamus? At non diſtinxerunt dicet aliquis, quod cum eſſent Theologi, myſticè, et inuolutè de rebus diuinis diſſerebant. Sed quorſum, et quo conſilio? At non, Deum eſſe unum, æternum, immobilem, uniuerſæ Theologiæ primum principium eſt, ac totius ſcientiæ fundamentum, ut non diſsimulari, aut ſub enigmate tradi, ſed perſpicuè omnibus explicari debuerit? Neq. uerò conſentaneum eſt, unum ens ad res ſenſiles abſq. diſtinctione applicaſſe: quod ſen

ſibus,

ſibus,et rationi repugnat. Rectius itaq. cum Hippocrate in libello de natura humana,et cum Galeno in eius loci commentario,Meliſsi opinionem interpretabimur,ut ille unum ens induxerit ſecundum naturam quandam ſimplicibus corporibus ſubiectam: quam poſteri materiam appellarunt,quod etiam ab Ariſt.de Meliſſo proditum eſt primo Metaphyſicorum,quamquam illi fortaſſe non recte ex Meliſsi ſententia eiuſmodi materiam primorum corporum tranſmutationi ſubiectam fecerunt:cum ipſe alioqui Meliſſus, immobilitatem in materia ponens,eam ſterilem,atq. otioſam reddiderit. Quam etiam ob cauſam uериſimile eſt,Meliſſum,cum illud unum,quaſi quantum, et corporeum poneret,infinitum,omniaq. occupans,atq. immobile poſuiſſe,quæ omnia materiæ conueniunt. Ita patet,Parmenidem, et Meliſſum fallacibus et contentioſis rationibus poſitionem eam de entis unitate induxiſſe: quæ neq. ex ui ſermonis, neq. ex argumentis, quibus concludi uidebatur,ac neq. etiam ex ſuorum diſcipulorum, totiuſq. poſteritatis teſtimonio in eum ſenſum accipi poteſt. quem illi Simplicius et Beſſario tribuerunt. Quòd ſi æqui,boniq. conſulentes, probabiliter diuinauerimus priſcos illos ſapientes aliò ſpectaſſe quã quod eorum uerba,et rationes efficiunt,ualeat ut poteſt.Illud enim interim hoc loco manifeſtum, perſpicuumq. nobis eſt,eos iure et non iniuria ab Ariſtotele refutatos atq. reiectos fuiſſe. Non igitur eos Ariſtoteles extra naturalium philoſophorum numerum poſuit; quòd theologi eſſent, et de rebus diuinis myſticè loquerentur; ſed potius,quia leuitate quadam ingenii naturalis ſcientiæ principia,motum,et multitudinem,contentioſis rationibus euertere, aut controuertere uiderentur. Quo etiam modo Zeno, qui cum Meliſſo Parmenidis diſcipulus fuiſſe dicitur,infirmitate quadam iudicii, quòd ueluti anima ſapientiæ eſt, apparentes rationes firmitati anteponens,cauillis quibuſdam ac fallaciſsimis argumentis motum tollere conabatur. In cuius ſcholam, eo de motu diſſerente, cum aliquandó Diogenes eſſet ingreſſus,e ſella exurgens, ambulando, inquit, o Zeno tua confuto ſophiſmata. Quamobrem neq. illud de Ariſtotele dicendum eſt,eũ ſcilicet illorum opiniones inuidè,aut malignè calumniatum eſſe, ſed iuſtiſsimis potius,ueriſsimiſq. rationibus expendiſſe,atq. ut captioſas, fallaces,inconcluſas,et tam materia,quàm argumenti forma peccantes,reieciſſe et confutaſſe. Ac primum quidem, ne temere in tanta diſsidentium ſententiarum uarietate,indicta cauſa,ſumere uideretur, quod a celeberrimis priſcorum temporum hominibus eſſet controuerſum.Deinde ut bonos diligenteſq. agricolas imitaretur,qui prius, quàm ſolum optimis ſeminibus excolant,illud ſentibus,ac ſpinis, rebuſq.omnibus noxiis expurgant.Poſtremo,ut ex ea diſputatione,quãquam non naturali,contrariis ſententiis et rationibus,tamquam tenebris

bris diſcuſsis, naturalis ſcientiæ principia illuſtrarentur, et quodāmodo conſtabilirentur ac perpetuo firmarentur. Hæc habui, quæ pro Ariſtotele, proq. ipſa ueritate, aduerſus Simplicium, et Beſſarionem in præſentia dicerem.

QVIA VERITAS VNA EST SIBIQVE VNDIQVE CONSENTIENS, EAQVE SOLA CONSTANS ET SOLIDA, QVAM SACROSANCTA CATHOLICA CHRISTI ECCLESIA ROMANA EX FIDE DIVINITVS INFVSA AMPLECTITVR, SIQVID IN IIS QVAESTIONIBVS EX ARISTOTELIS DOCTRINA DICTVM SIT QVOD AVT CVM ILLA PVGNET, AVT NON SATIS CONSENTIAT, ID OMNE CASSVM ATQVE IRRITVM AC VELVTI INDICTVM ESTO.

Fides publica de veritate controuerſiæ primo capite huius operis ab auctore narratæ.

NOS Taurinenſis Academiæ Doctores et profeſſores publici, qui concertationi inter præclaros eiuſdem Academiæ philoſophos D. D. Auguſtinum Buccium et Antonium Bergam hoc anno habitæ adfuimus, fidem facimus ac teſtamur, rem ita omnino geſtam, ac controuerſiam ita prorſus habitam, quemadmodum Buccius ipſe primo eius operis capite, quod ſub naturalium diſputationum titulo edidit, uere ac fideliter narrauit. In quorum fidem diploma hoc, publicumque monimentum conceſsimus, eique ſubſcripſimus, Auguſtæ Taurinorum. M. D. LXXII.

Antonius Lobetus lectionis ad Almanſorem publicus in Academia profeſſor.

Franciſcus Ialuetus Bargius Theorices Medicinæ publicus profeſſor.

Iacobus Martinus Scotus philoſophiæ profeſſor publicus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA V. EMANUELE

Bartholomæus Ferrerius logices publicus profeſſor.